

t. Lat. rec. A  
141



Poet. lat. rec. 193.











IO. AVGVSTINI FASCHII  
*ILIAS ITALICA*  
ET  
*ODYSSEA BRITANNICA*

SIVE DE

SERENISSIMORVM PRINCIPVM

*D. N. EVGENII*

DVCIS SABAVDIAE, ET RELIQA.

ATQVE

*D. N. IOHANNIS*

DVCIS MARLBOROVGHII, ET RELIQA.

*REBVS SVMMA PER EVROPAM*

AC IMMORTALI APVD POSTEROS FORTITVDINIS FAMA

GESTIS ET LAVDIBVS

*LIBRI DVO*

VBI DE PACE S. R. IMPERIO AQVIS HELVETIORVM IAM REDDITA

*AVGVSTISSIMO ET INVICTISSIMO ROMANORVM*

IMPERATORI, REGIBVS, PRINCIPIBVSQVE

DEVOTISSIME GRATVLATUR AVTOR.

CVM PRAEFATIONE

*DE VARIIS GENTIVM EVROPAEARVM*

*IISQVE PRAECIPVIS IVRIBVS.*

*I E N A E,*

PROSTAT IN OFFICINA VVERTHERIANA.

MDCCLXV.

rec. N. 72. 6 - 355  
14. Saletus 1728. Adinm. 1728.

Poetic:  
a) Poeta Latini recent: 193.



IO AVGVSTINI FASCII

DE RE PVBICA

ET

DE RE PVBICA

DE

RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA

DE RE PVBICA



SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

**DN. EVGENIO**

DVCI SABAVDIAE,

HEROI IN TOGA AC SAGO, EQVITI AVREI VEL-  
LERIS, SVMMO MILITIAE S. R. I. PRAEFECTO, ET  
EXERCITVVM CAESAREORVM ARCHISTRATEGO,  
CONSILII BELLICI IN AVLA CAROLI VI. IMPERA-  
TORIS ROMANORVM ET HISPANIARVM REGIS PII,  
FORTIS, AVGVSTI, PRAESIDI, DVCATVS MEDIO-  
LANENSIS GVBERNATORI SVPREMO, AVGVSTIS-  
SIMI ITEM INVICTISSIMIQVE CAESARIS PVRPV-  
RATO AC INTIMAE ADMISSIONIS MINISTRO,  
ET RELIQA,

**DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,**

**FELICITATEM AVGVSTAM  
PERPETVAM!**



IN EFFIGIEM  
SERENISSIMI PRINCIPIS.

**E**VGENII sic, munde, Deo progna-  
ta Gradivo

Magni majestas exhibet ora  
DVCIS,

Et Martis dignos sic inajestate trium-  
phos,

EVGENIO *belli Principe*, Sceptra stu-  
pent.

Scilicet hoc Proavum gliscens sub pecto-  
re numen

Non modo de Selymum compede vi-  
ctor ovat,

Ac Asiae victis, hoc Bellatore, tyrannis,

Austria prostrati fert Orientis opes;

Ast etiam domitor terrarum exercitus  
orbis

Succubat EVGENIO victima caesa

DVCI.

Nec



Nec mirum : Herculeas plus ultra fama  
columnas

EIVS abit, nec quo progrediatur habet.  
Vastus & Oceanus latices ceu forbet, &  
ex se

Rurfus in exhausto gurgite fundit  
aquas,

EVGENIVS geminos Princeps Bellator  
ad orbis,

Sidera cvi supra gloria sternit iter,  
Res gestas Gestis sic addit, & orbis in  
usum,

Quæ patrat, auforum dicitur Ocea-  
nus.

○)(○)(○

):( 2

ATQVE



ATQVE  
SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,  
**DN. JOHANNI,**

S. R. I. PRINCIPI MINDELHEIMENSI AC DVCI  
MARLBOROUGHIO, S. R. MAI. MAGNAE BRITAN-  
NIAE CONSILIARIO INTIMO, SUMMOQUE  
BRITANNICORVM IN GERMANIA ET BELGIO EX-  
ERCITVVM DVCI BELLICO, REI TORMENTA-  
RIAE PRAEFECTO SUPREMO, ATQVE OR-  
DINIS PERISCHELIDIS EQVITI,

ET RELIQA,

*DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,*

DECVS AVGVSTVM ET FELICITATEM  
PERENNEM!



IN SERENISSIMUM DUCEM  
MARLBOROUGHIVM.

**S**Ecula si fortem stupeant *Hebraea*  
*Benajam,*

Quem belli Salomon Rex jubet  
esse Ducem:

*Harpagidas* veteri si *Persia* jactat ab aevo,  
Quòd *Cyris* *Asiam* restituere suis:

Qui *Macetum* Sceptro junxisti *Orientis*  
habenās,

Si pia te *Clio* *Graja*, *Seleuce*, canit:

*Terrarum* dominam si *Scipio* floret ad  
*Urbem,*

Regna quod *Aufonio* subdidit *Afra* foro:  
*Hebraeos*, *Persas*, *Graecos* fortesque *Qui-*  
*ritum*

MARLBOROUGHIVS spirans praelia vin-  
cit avos:

MARLBOROUGHIVS Dux nempe Ducum  
cum laude vetustos

Bellorum imperiis exiit hosce Duces.

IN



IN CLARISSIMUM  
DN. IO. AVGVSTINVM FASCHIVM,  
Post nuperos in primi Borufforum Regis Coronam labores  
de Serenissimorum EVGENII SABAVDI & MARL-  
BOROVGHII DVCVM Rebus Gestis ac Laudibus,  
Poësi duce, commentantem.

**D**um nova Prufforum diademata scribis, et Ipsos  
Dum canis EVGENIOS MARLBRV-  
GIOSque DVCES,

Non Patruo tantum celebri, quem Jena docentem  
F. Faschiaden stupuit, dat Tua vena decus;  
Sed quoque Bergeros, quos Saxo Elector Athenis  
Lumina praeposuit quam pretiosa suis:

(a) Io. Henr. Summa Senatores (2) quos Cæsaris Aula veretur,  
(b) Io. Gothofr. Regis & Archiatros (b) jam VViteberga favet,  
(c) Io. Guiliel. Quaeque Oratores colit & VViteberga Poëtas (c)  
Fratres Ber- Famâ Cognatos tangis & ipse Tua.  
geros,  
Gratulor ex animo: Verae Pietatis asylum  
Sit DEVS, hocque juvet Sedulitatis opus!

IO. IACOBVS SYRBIVS,  
Philosophiae Primae & Rationalis Professor  
Publicus Ordinarius.

PRÆ.





## PRAEFATIO AD LECTOREM BENEVOLVM ET CANDIDVM.



Imperatoriam Majestatem non tantum armis decoratam sed & Legibus oportere esse armatam, sacratissimi Imperatoris, Justinianum quem appellant, dictio est prudentissima. (a) Vbi enim nulla est legum tuitio ac autoritas, ibi nullam esse rempublicam, vel non rectam, sapienter admodum Plato pronunciavit. Lex quippe fundamentum est libertatis, fons aequitatis, mens, animus, consilium & sententia civitatis, (b) sine qua nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest consistere. (c) Qua de causa DEVS, hujus universi conditor, Israëlitarum populo legum ac judiciorum normam, reipublicae suae factae rectae conservandae maxime congruam divino consilio non tantum dedit promulgatam; sed inter cunctas etiam, moratiores imprimis ab orbe condito gentes, Assyrios, Chaldaeos, Aegyptios, Phoenices, Athenienses, Pelasgos, Arcades, Thebanos, Cretenses, Spartanos, Jonios, Plataeenses, Illyricos, Tyrios, Milesios, Siculos, Megarenses, Corcyraeos, Lesbios, Babylonios, Medos, Persas, Macedones, Lydios, Corinthios, Locrenses, Syracusanos, Agrigentinos, aliosque innumeros

A

ante



ante natum Servatorem in fago togaque florentissimas respublicas coactos mortalium coetus Legum sanctitatem passim fuisse receptam, abundè liquet, cujuslibet reipublicae, monarchicae, aristocraticae, oligarchicae, democraticae, magistratu ex honesti & aequi formula naturali ad formam reipublicae, quae ab unoquoque populorum, uti dictum, fuerat comprobata, Leges ferente, ambitioneque ac avaritia, tam praemio quam favore curiâ exire jussis, in iudices, qui pietatis & justitiae gradu neminem habebant superiorem, forensium duplicis generis judiciorum provinciam transferente.

(a) Prooem. Instit. Princ.

(b) Cic. pro Cluent.

(c) id. L. III. de Legibus.

*Ausonios* imprimis bellicosissimos verâ solidaque Legum Romanarum, quas liber populus à libera, Graecis, gente stupendum in modum posthac excrecentes acceperat, cognitione debellatas ubique gentium non tam in Africa quam Asia & Europa regiones instruxisse nullus iverit inficias. Sic *Hispani* post multas bellorum difficultates sceptris Romanorum, Octaviano imperante Augusto, qui *Cyros* & *Alexandros* non felicitate tantum Augustorum, sed Divûm quoque clementiâ longis superavit passibus, anno V. C. DCCXXX<sup>mo</sup>, Imperii vicesimo, subacti animum ad Leges, jura tersiorisque *Quiritum* sermonis, qui communis tunc erat gentium *Mercurius*, in dicendo scribendoque nitorem, puritatem ac elegantiam adjunxerunt, Legatis, Ducibus, Comitibus Vicariisque Caesareis in tranquillam *Hispaniae citerioris* gubernationem omni cogitatione curaque incumbentibus, *ulteriorem* verò Proconsulibus eò ablegatis leni imperio flectentibus. (d)

(d) v. L. 2. §. 32. D. de O. 7. Captâ deinde Sardinia, mox Sicilia, item *Hispania*, deinde Narbonensi Provinciâ, totidem Praetores, quot provinciae in ditionem venerant, creati sunt, partim qui urbanis rebus, partim qui provincialibus praessent. L. 7. §. 10. D. de interdict. & relegat. Maecio etiam Probo, Praesidi provinciae *Hispaniae* rescripserunt (Divi fratres,) etiam eâ provincia interdici, unde quis oriundus est, ab eo, qui regit eam provinciam, ubi quis domicilium habet. II.



It. L. 63. §. fin. D. ad L. Falcid. ubi Julius, Paulus, Patavinus, Papiniani discipulus, ejusdemque Praetorio Praefecti in Caesaris Septimii Severi Aula Adfessor, & posthaec Imperatori Alexandro à consiliis sanctioribus, Libr II. (scripsit enim Libros ejusmodi X.) ad L. Jul. & Pappian ait: Nonnullam tamen pretio varietatem loca temporaque advehunt, nec enim tantidem Romae & in Hispania oleum aestimabitur; nec continuis sterilitatibus tantidem, quanti secundis fructibus, dum hic quoque non ex momentis temporum, nec ex ea, quae raro accidat, caritate, pretia constituantur.

It. L. 2. §. 2. C. de offic. Praef. Praetor. Afric. ubi Dibus Justinianus Bellisario magistro militum per Orientem haec dat in mandatis: Jubemus etiam: ut in trajectu, qui est contra Hispaniam qui Septa dicitur, quantos providerit tua magnitudo, de militibus unà cum Tribuno suo, homine prudente & devotionem servante reipublicae nostrae, per omnia constituas; qui possint & ipsum trajectum semper servare, & omnia, quae in partibus Hispaniae vel Galliae seu Francorum aguntur, viro spectabili Duci denunciare, ut ipse tuae magnitudini referat. In quo trajectu etiam dromones, quantos provideris, ordinari facias.

It. L. 16. C. de Serv. fugit. à Constantino M. Imperatore ad Tiberianum, *Comitem Hispaniarum*. xv. Kalend. Septembr. a. 332. rescripta.

It. L. 16. C. de donation. ante nupt. quam idem Caesar gloriosissimus ad dictum Tiberianum, *Comitem Hispaniarum* xiii. Kal. Maji, 336. rescribi curavit.

It. L. 11. C. de acquir. & retin. possess. & L. ult. C. si per vim. ab Imperatoribus Arcadio & Honorio ad Petronium, *Vicarium Hispaniarum*, v. & xv. Kal. Januar. 397. rescriptae.

*Visigotbi* pariter Alanis, Burgundionibus, Svevis Vandalisque Gallias & Hispanias post commissa plus vice simplici cum Romanis praelia gravissima, dextro Marte opprimentibus, sed paulò post inde expulsis succedentes nullam non insignem omninò benevolentiam in Leges Romanas tanto constantiae generosae ardore declararunt, ut qui post Radagaisum, Alaricumque praedecessores, principatum inter illos, nobilissimarum Comatae & Braccatae Galliae provinciarum Aquitanicae & Narbonensis ante depugnator, tenebat, Athaulfi felicissimis auspiciis circa annum seculi quinti Christiani duodecimum, praeter Gothicas & Legibus Romanis edicto regiò vaìor accederet amplissimus, licet insequentes Visigothorum Reges, *Euricus*, qui recentiori Regno in Hispaniis asserto circa a. C. CCCCLVHI. suffectus Romanis in Gallia Atrebatum abstulit, & Masfiliam, *Alaricus*que primi gentis suae legislatores Jus Romanum perpetuà oblivione ob-

scuri Codicem Legum Visigothorum, qui Themidi Romanae tan-



quam fundamento innitebatur, duodecim Libris, Codicis Justinianei exemplo promulgaverint, & à Mauris postea ac Saracenis, caeso circa a. C. DCCXX. Roderico, & demum ab Hispanis usque ad Alphonsi X. Sapientis, in Romanorum Imperatorem anno MCCLVI. electi & MCCLXXXIV. defuncti tempora magno in pretio sit habitus, qui dicto Codice è Curiis rejecto, Astracae Romanae effata Hispanico scripta idiomate Castellae & Legionis Tribunalibus postliminio restituit, ingentem universis subditis suis animi laetitiam impertitus. Nec non Ranimirus II. & Raymundus Berengarius de Maurorum colluvie plurimis nobilitatus victoriis, Aragoniae Reges Legibus Visigothorum seculo XII. prorsus derogarunt, Librisque *Vsaticorum*, quos & *Jus municipale* vocant, Catalaunios, (qui ex Gothis & Alanis in unam seculo V. coalescentes gentem hoc utuntur nomine,) sempiternis vinculis in hunc usque diem adstrinxerunt, quibus ut & *Fororum* juribus tanta omnium conciliata est Catalauniae JCorum ore autoritas, ut & ipsis potentissimis Hispaniae Regibus contravenire iisdem, quod ex pacto cum subditis memoratas Leges inierint, nefas habeatur, nec, priusquam eas privilegiaque alia sanctè observatum iri jurejurando se obstrinxerint, solenni homagium ritu à Catalaunis praestetur: Vnde cruentae illae Barcinonensium, annò vertente, & hòc lacrymae cineresque morticini. Tandem ex his Legibus omnibus, constitutionibus, ordinationibus, sanctionibus pragmaticis, consuetudinibus, *Legibus Fori*, (e) *Septipartitis*, *Legibus Taurinis* (f) aliisque compluribus *Jus*, quod Hispani *Regium* denominant, est compositum.

(e) Vid. Aragonum Regni Repertorium Fororum Michaëli del Molino, fol. 1554.

(f) Vid. Jo. Lopez de Palacios Ruvios Glossemata Legum Tauri, fol. Salamant. 1542.

It. Legum Hispaniae Systema Philippi II. Regis jussu à Petro Lopezio de Alcocer, JCo Vallisoletano, Doctore *Escuedro*, Consiliario Regio, & Bartholomaeo Atienca in supremo Castellae Tribunali Senatore compositum, Madriti primo 1566. & 1598. deinde sub Philippo III. 1610. & tandem Philippi IV. auspiciis 1640. fol. excusum. Quibus ex recentissimis jungendus Dn. Gerardus Ernestus Francus de Franckenau, Danico apud Hispaniae Regem, Carolum II. Oratori ab arcanis Regijs, in elegantissimo Themidos Hispaniae tractatu, Hannoveran. 1603. 4.

De



## PRAEFATIO.

De *Lusitanis*, gente, Viriato & Q. Sertorio ducibus bellicosissima à Divo Augusto in Romani diadematis ditionem redactis, Historicorum, quantus quantus est, ad unum omnium consensus idem statuit. (g)

(g) Vid. L. 8. Pr. D. de Censibus, ubi Pauli supra laudati hunc in modum se habent verba: In *Lusitania* (uti Vulgatae accuratius habet lectio, pro *Lysitania*) Pacenses & Emeritenses juris Italici sunt.

*Galli* itidem, quibuscum maximis Julius Caesar praeliis, cum naturam & conditionem, ut vinci possent, non haberent, novem, & quod excedit, annos felicissimè decertaverat, suarumque in pugna virium victoria perdomitos quos Principatui Romanorum propagando subjecerat, à Legatis partim & Proconsulibus, partim à Praefectis Praetorio Galliarum gubernandos, ad Romanarum Legum illustrationem tantum studium curamque convertere sunt semper deprehensi, ut à nullo Actorum consummatissimorum se superari passi fuerint. Sententiae nostrae non possunt non ad stipulari, qui ex summis Franciae Jctis Franciscorum nomine celebratissimi quatuor Justitiae Antistites nobiscum faciunt: *Franciscus Balduinus, Franciscus Connanus, Franciscus Duarenus, & Franciscus Hotomannus*. Sicque Dionysium & Jacobum Gothofredos, Jacobum Cujacium, Carolum Hannibalem Fabrotum, Franciscum Contium, Hadrianum Turnebum, Gvilielmum Budaeum, Carolos Molinaeos, Philippum Huraldum, Tanaquillum Fabrum, aliaque inter Gallos Themidos oracula in medium producere parum, ne actum agamus, refert.

Vetustissimae *Germanorum* gentis rerumque ab his gestarum cognitionem usque ad Cimbros, Rheno trajecto per Gallias Romam contendentes, sed à C. Mario & Q. Catulo a. V. C. DCLVI. in Italiae aditu deletos, Juliique Caesaris ex Gallico, Helvetico, Britannico, Germanico, & Cn. cum Pompejo, Magnum quem appellant, bellis reportatas victorias, commentis refertam, incertissimam, nodoque Gordio magis in extricabilem extitisse, inter omnes constat. Primus



enim summorum belli inter Quirites ducum Caesar, Rheno pontibus (b) juncto, aggeribusque structis, in Germaniam, quam, Ariovisto, cum Luna deficiens coruscum sideris sui nitorem conderet, (i) profligato, graviter affligeret, ingressus est. Tantum igitur abfuit, ut ejus in Imperio Augustissimi successores victis parcerent, quin in Germaniae potius, promptissimis incolis acie caesis, interiora irrum-pentes *Cis-Rhenanam* (k) quam dicunt, magno bellorum motu concussam sceptris suis tributariam facerent, haud exigua inprimis inter Rhenum ac Albim Germaniae parte sub Augusto per privignum Drusum expeditionibus his immortuum, ejusque sobolem Martiam, Germanicum Caesarem subactâ, populisque antiquas Italiam inter & Rhenum sedes inhabitantibus, Romanorum ditioni adjectis. *Trans-Rhenana* verò vix coerceri inque officio ab Imperatoribus retineri potuit, aspera horridaque ejusdem gente Romanis huc usque incognita & inaccessâ, hostium audaciâ perferocium impetum & furorem, in prima, ut ajunt, herba, fortissimis exercitibus oppositis, opprimente, barbarâque feritate in sparsos & incompósitos sibi infensos saeviente. Penitus haec ut innotescant, evolvatur oportet, qui ab eloquentia, scribendique genere plano, leni & aequaliter fluente *C. Julius Caesar* commendatur, ex cujus libris historicis hodie supersunt Libri VII. de bello Gallico à Maximo Planude, sive alio, Graecè translati, itemque Libri III. de bello Civili. Reliquis quae antevertit, Gothofredi Jungermanni est editio, Francof. 1606. 4. cum notis variorum, & ab hac si discesserimus, Graeviana cum Dionysii Vossii commentario, Amstelod. 1697. 8. De hinc in hujus rerum Germanicarum antiquitatis pernoscendae progressu attendendus omninò est *C. Cornelius Tacitus* in Libris XXX. de Romanorum Gestis ab Augusti Imperatoris excessu usque ad Domitiani obitum compositis, ex quibus tamen ad nostram pervenerunt aetatem unus & viginti tantum: Annalium scilicet Libri XVI. Historiarum verò, quarum pars interiit maxima, Libri V. unius modò anni res complexi.

(b) Vid.



(b) Vid. Jul. Caesar Libr. IV. de Bello Gallico.

(i) Vid. Plutarch. in vita Jul. Caesaris, §. 6.

(k) L. 8. Pr. D. de Censib. in Germania inferiore *Agrippinenses* juris Italici sunt.

Sed profunda & ardua inprimis vetustatis Germanicae fundamenta monumentaque suggeret elegantissimus *Taciti*, quò omnes inter historicos aevo suo superiores nemo habitus est prudentior, de situ, moribus & populis Germaniae libellus, Gabrielis Ackelesi, Michaëlis Beutheri, Matthiae Berneggeri, Henrici Glareani, Cyriaci Lentuli, Beati Rhenani aliorumque vividae explicationis commentariis dudum illustratus. Ultima scriptoris gravissimi, in Historiarum libris uberioris & floridioris, in Annalibus pressioris, prodiit editio Ulmae, 1693. 4.

Duorum quoque, quos *Vellejo Paterculo* literatus orbis acceptos refert, lectio librorum Historiae Romanae tam est utilis quam utilissima: Dictio planè Romana, nitida ac elegans. Praestant cum Justi Lipsii, Jani Gruteri, Aldi Manutii, Jo. Henrici Boecleri, Ericii Claudiique Puteanorum, Claudii Salmasii, Antonii Thyssii, Christophori Adami Ruperti, Fulvii Ursini, Gerhardique G. J. F. Vosii animadversionibus, inque usum Delphini, cum notis R. Rigvez, Parisiis, 1675. Joannisque Harduini, 1695. 4. editiones.

Nemo quoque Historicorum *Svetonio*, *Plutarcho*, *Floro* & *Eutropio* ipsis his antiquitatis studiis contendere audeat. Hic enim Romanae ab V. C. usque ad Joviniani Imperatoris mortem Historiae, Libris X. dedit breviarium cum Graeca Paeanii versione scholiisque doctissimis Christophori Cellarii, Cizae 1678. 8. publici juris factum. Ille verò rerum Romanarum ab V. C. usque ad annum DCCXXIV. regiminis videlicet Augusti vicesimum septimum, Libris IV. scripsit epitomen, cum annotationibus Joachimi Stadii, Colon. 1635. 8. Claudii Salmasii, Amstelod. 1665. 12. Jo. Freinshemii, Argentorati, 1669. 8. Christophori Adami Ruperti, Norimb. 1659. 8. Jo. Minellii, Roterodam. 1670. 12. Tanaquilli Fabri, junioris, in usum Delphini, Paris 1674. 4. Jo. Georg. Graevii, Amstelod. 1680. 8. & 1692. item cum

cum



cum notis variorum, Amstelod. 1672. 8. saepius recusam. *Istius, Plutarchi*, nec indoctus nec inelegans de Fluminibus & montibus liber est, Graecè & Latinè cum Philippi Maussaci observationibus Tolosae 1615. 8. editus. Principem verò locum de viris illustribus, Graecis & Romanis in aeternum victuro opere tractatus tenet, rerum Germanicarum scrutatoribus lucem, solis instar, omnigenam affundens. Operum ejusdem, quotquot extant, tum Historicorum, tum moralium & politicorum praestantissima Wecheliorum existimatur Graeco-Latina editio, binis voluminibus Francof. 1592. & 1620. fol. Tandem, si quis unquam scriptor huc facit, is certè est *Svetonius*, emendatissimus Vopisci judicio & candidissimus, & cui familiare est amare brevitatem, inque cujus libris priorum duodecim Caesarum vitas complexis nulla gratiae est suspicio, nulla simultatis: cum animadversionibus Isaaci Casauboni & politicis Boecleri laudati dissertationibus, Argentinae, 1647. 4. Graevii & variorum notis, Ultrajecti 1672. Hagae Comit. 1691. 4. & recentissimè Jo. Min-ellii cum B. Christiani Junckeri scholiis, Lipsiae, 1706. 12. recusus. Sparsim autem *Eutropius, Florus, Plutarchus & Tranquillus* quaedam Germanicas antiquitates attinentia proferunt. Quibus amicà jungendi sunt societate tres alii, rerum optimarum copia concinnoque sententiarum ordine scriptores ceteris qui praestant, *Claudius Ptolemaeus, Strabo*, ut & *Pomponius Mela*. Germaniae enim veteris situm scitius, elegantius, justiusque nullus delineare potuit, ac à *Ptolomaeo* illo factum maximo liquet. Geographiae ejus Libris VIII. comprehensae Latina editio prodiit Coloniae Vbiorum, 1475. & Argentorati 1513. fol. Graeca, Parisiis 1546. 4. Graeco-Latina verò Gerardi Mercatoris (ad quem quoque spectant Chronologia ab initio mundi ex eclipsibus & observationibus astronomicis, item S. Scripturae testimoniis demonstrata cum Isidori Hispalensis chronologia, Basil. 1577. 8. excusa: ut & Atlas, sive cosmographicae meditationes & fabrica mundi & fabricati figura, denuò auctus cum tabulis Geographicis, fol. Amstelod. 1612. nec non Tabulae Geographicae Galliae, Italiae, Sla-

tano,



voniae & Graeciae, fol. Dusburgi Cliviorum) recognita à Petro Montano Amstelod. 1605. fol. *Μεγάλης* autem *συντάξεως* Libri, (licet huc parum faciant,) & in eosdem Theonis Alexandrini commentarii publicam adspexerunt lucem Basileae, 1559. fol. Praeter hunc si quisquam unquam studii rerum Geographicarum fuit peritus, is profecto fuit *Strabo*. Elucet id ex ipsius *γεογραφικῶν* Libris XVII. ex Graeco-Latina Isaaci Casaubor' recensione editis, Amstelod. 1653. 12. item cum Casauboni & Friderici Morelli animadversionibus, Paris. 1620. fol. Tandem his in studiis, quae Patriae nostrae antiquae, Germaniae inquam, situm ac faciem pari dexteritate, elegantique & politico in omnibus judicio illustrant, ut laudetur in hunc usque diem ab omnibus, eum *Pomponius Mela* se praestitit. Quid enim tribus illius de Orbis situ libris ob rerum seriem stylique elegantiam praecellentius? Prodiit scriptor hic, at quantus Geographus? ex Andreae Scotti recensione, Antverpiae, 1582. 4. item Helmstadii 1635. 8. & cum observationibus Isaaci Vossii, Hag. Com. 1658. 4. nec non cum annotationibus nummisque antiquis, curâ Jacobi Gronovii, Lugd. Batav. 1696. 8.

Veterum autem Germanorum populi magis ad bonos mores, quos acutissime observarent, quam bonas Leges animum advertebant. Morum & institutorum istorum à majoribus ad ipsos devolutionum descriptionem ex Caesare passim de bello Gallico, Cornelioque Tacito de moribus Germanorum c. XIX. exhibet Melchior Goldastus Tom. II. Constitut. Imperial. Francof. 1609. fol.

In antiquarum Germanicae gentis Legum classe comprehenditur *Codex Legum Visigothorum, Theodoricianum* quem vocant, duodecim libros, de quibus supra, complexus, cujus in ipsis Burgundionum Saxonumque judiciis, quod juris Romani aequitate nitetur, statim eminuit autoritas. Item *Lex Salica, Aulica, seu Palatina*, unicum olim Regni Germanici jus, quod & *Franconicum* A. B. tit. V. verbis: *in Partibus Rheni & Svediae, & in Jure Franconico &c.* vel *Sve-*

B

VICINE



*vicum* appellatur. Salici enim iidem erant, qui Franci; Francicum idem quod Salicum: adeò, ut ipsa Francorum gens, terra, Lex, Salica dicitur, teste illustri Henrico Coccejo, in I. P. p. m. 90. Ut & *Leges Alamannorum, Bajuvariorum* (temporis enim successu nonnulli Germaniae populi Leges in scriptis promulgabant,) *Ripuariorum, Saxonum, Anglorum, Frisonum, Longobardorum*, aliorumque, quas Fredericus Lindenbrogius in codice legum antiquarum, Francof. 1613. fol. publicandas curavit. Prior autem editio cura Joannis Heroldi, Basileae 1557. fol. prodiit: uti & ingenti Petri Pithoei in doctos beneficio, quòd Leges Visigothorum, Parisiis 1579. fol. Legisque Salicae librum ex bibliotheca sua cum notis, Parisiis 1602. 8. publici juris fecerat, par nunquam alterum antea reperiatur.

Nongentis etiam abhinc, & quod excedit, annis, aevo veteri, Imperii re Germanici, nomine Romani, jure victoriae *Caesares Augustissimi*, quos *Francicos* appellamus, pretiosissimum rei Germanicae cognoscendae suggessere in Capitularibus, ut vocant, thesaurum. Nemoque erit, his qui fidem non habeat. Sic Caroli M. jus nemotheticum in Sacris sibi inprimis, vindicantis, ceterorumque Francorum Regum Capitula primum ex Bibliotheca Pithoeana 1640. & dein ex Stephani Baluzii recensione, suis aliorumque, veluti Francisci Pithoei glossario ad Legem Salicam & Capitularia, ac Jacobi Sirmondi animadversionibus adjectis, Parisiis, voluminibus duobus 1677. fol. prodire. Tomi etiam primi Constitutionum Imperialium Melchioris Goldasti potior hic habenda est ratio, in quo constitutiones Imperatorum ab antiquissimis & Caroli quidem M. temporibus usque ad Rudolphum II. collectas Francof. 1607. fol. publicavit.

Leges Germaniae veteres particulares, à quibus longè huc usque abfuimus, quod attinet, certè cognitum perspectumque à priscis est temporibus, Germaniam Cis-Rhenanam à Romanis divisam fuisse in primam & secundam; A Francis verò Imperatoribus, quorum virtute Thrans-Rhenana provincia accessit, in Alemanniam & Saxo-  
niam



niam, Ober- und Nieder-Deutschland / sive in Germaniam *Superiorem*, terras *juris Francici*, Regii, quod postea sub Svevis *Svevicum* quoque appellari coepit, complexam, & *Inferiorem*, quae continet terras *juris Saxonici*, id est, quae pertinent ad Jus Provinciae Saxonicae, non quae utuntur jure Saxonico, prout scitè & eleganter Illustris Coccejus *Jurium* omnisque antiquitatis Germanicae callentissimus, cujus verbis omni auctoritate superioribus uti sit mihi integrum, subacto haec judicio, sereniorum in studiis gravioribus tantis prae se ferens frontem, deduxit in I. P. c. XVI. §. 9. p. m. 305. Proinde duo illa *Juris Specula* à scriptoribus & compilatoribus Seculi XII. qui opusculis suis *Speculorum* nomen inscribere consueverant, sic nuncupata, perinde & Guilielmus Durandus, composito *juris speculo*, egregium, ad posteros, *Speculatoris* dedit exemplum. *Speculum* enim *Svevicum* ex *Lege Salica*, cujus supra fecimus mentionem, aliisque confectum est Seculo XIII. consuetudinibus, eminentissimae quippe inter omnes superioris Germaniae populos dignitatis vetustum illud oraculum, quemadmodum *Speculi Saxonici*, ex Legibus, quas in inferiori Germania Saxones sibi proprias promulgauerant, concinnè conscripti justaque serie dispositi natales laetos ex Seculo XII. derivatos haud diffitemur, c. I. x. de sponsal. mentis nostrae asserta comprobante. Verba ejusdem hunc se habent in modum: De Francia quidam nobilem mulierem de Saxonia *Lege Saxonum* duxit in uxorem: Verum quia non iisdem utuntur Legibus Saxones & Francigenae, accusatus est, quod eam non suâ, id est Francorum lege desponsaverat, vel acceperat, vel donaverat, dimissaque illam aliam superduxit. Definivit super hoc sancta Synodus, ut ille transgressor Evangelicae Legis subjiciatur poenitentiae, & à secunda conjuge separetur, & ad priorem redire cogatur. Hunc quippe canonem, si *Burchardum Wormatiensem* exceperimus, *Ivo* etiam *Carnotensis*, sec. XII. Henricorum IV. & V. Lotharii que II. Imperatorum aevò, juris canonici doctor clarissimus, ex concilio Triburicensi, in volumine *Decretorum* à se in justam redactorum seriem in medium proferre nullus



dubitavit, ex quo ceteri Decretalium compilatores eundem ad posteros deduxerunt.

De *Jure Svevico, Alemannico*, titulis itidem *Juris Regii, Francici & Franconici* conspicuo, *Schwaben-Spiegel / Schwäbische Recht / Kayserl. und Königl. Land-Recht* / ut non nihil dicamus, fieri vix potest, ut sub hac inscriptione hodiè reperiatur; sed potius idem speculum typis exscribi curavit Johannes Meischnerus, sub titulo: *Kayserliche Land- und Lehn-Rechte*. Codicemque juris Alemannici feudalis Celeberrimus Joannes Schilterus in Aula Divi Bernhardi II. Saxon. Duc. Consiliarius, posthac Jctus & Antecessor Academiae Argentinae honorarius & Consiliarius Regius edidit; sed hic revera continet Jus Suevicum Feudale, & est pars secunda Speculi Suevici, des *Kayserlichen Land- und Lehn-Rechts* / à laudato Meischnero editi, hujusque rei veritas, conjunctis juris publici consultissimorum virorum sententiis, in aperto est.

Deinde à *Jure Suevico*, de cujus summo inter gentes existimationis gradu nunquam quis unquam dubitaverit, si discesserimus, *Saxonici* quoque *Juris* aequitatem non paucae totam praeter Germaniam regiones ultrò citroque suspiciebant, magnoque celebrabant opere, cujus tres extant tomi: *Primus* continet *Speculum Saxonicum in specie*, quod & Jus Provinciale, das *Land-Recht* appellant. *Secundò* intra suos, non minori cum circumspectione, cancellos conclusum circumscribitur *Jus Weichbildicum, vel Jus Municipale*, das *Stadt- und Markt-Recht / oder Weich-Bild*. Weichbildici verò *Juris* nomine ante Seculi XIV<sup>ti</sup> exordium unumquodque Jus municipale indicabatur. Hodiè autem *Juris Weichbildici* in literas redacti appellatione non nisi Jus Weichbildicum Magdeburgicum, ejusque in Themidos Curiis professionem intelligi olimque esse intellectam nemo non ignorat. Vid. B. Henrici Meibomii, Praeceptoris olim nostri maximè devenerandi *Introduct. ad Saxon. Inf. historiam*, p. 80. Quò cum nihil esset sanctius, aequius, veterumque

Tri-



Tribunalibus stabiliendis magnificentius, nil utilius, magisque lib-  
 tibus sepeliendis necessarium, quâ Bohemi, quâ Poloni, cum gentis  
 hujus infulati Proceres Magdeburgici in Germania Magna Archiepi-  
 scopatus Suffraganeis quondam essent accensiti, non poterant sibi  
 temperare, quin & Juris Weichbildici hujus Statutis uterentur: qua  
 de causa provocationes ab iisdem ad Palatinum Saxonicum Magde-  
 burgicum, priusquam Casimirus III. Piastorum prosapiae Rex ulti-  
 mus anno MCCCLXX. defunctus, Appellationibus his circa a. C.  
 MCCCLXVI. derogaret, Academiaque Cracoviensi ao. MCCCLXIV.  
 introductâ, supremam Astraeae Regiam ibi constitueret, transmissas  
 fuisse, ex priscis seculis compertum est. Vid. Gryphander de Weich-  
 bildis Saxonis, C. 37. & 80. ut & Conringius de O. J. G. C. 29. Ju-  
 ris quoque Saxonici veteris apud Silesios usum in dissertatione doctis-  
 sima, summaque cum cura 1703. elaborata proposuit B. Dn. *Samuel*  
*Strykius*, consummatissimus Viadrinae, Leucoreae & Fridericianae  
 academiarum olim Jctus, & Potentissimi Borussiorum Regis Consi-  
 liarius intimus, noster per biennium, donec piè & placidè DEO Crea-  
 tori animam redderet, Praeceptor & Maecenas omni observantiae  
 cultu prosequendus. Codici autem *tertio Jus Feudale Saxonicum, das*  
*Lehn- oder Ritter-Recht* insertum est, hujusque inde fontes consu-  
 lendi sunt & aperiendi. Nec diffiteri necesse est, sicut non ita paucis  
 antè seculis maxima juris hujus fuit dignatio, summumque inter gen-  
 tes, ad mare Balthicum, Sarmatiam usque, pretium, tantam & nostrâ  
 hac aetate ejus propagari observantiam, ut, ubicunque Saxonum Le-  
 ges & consuetudines antiquitus obtinere, neque abrogatio doceri  
 potest, ibi Themidos Romanae non aliam quam subsidiariam agno-  
 scat autoritatem.

*Porro* & cetera antiqua Germaniae jura oculos mentemque no-  
 stram non effugient. Haec inter principem ingenti justitiae & per-  
 spicuitatis suae opere locum sibi demeretur *Jus Lubecense*, cui in Cima-  
 meriis istis tenebris statuendo faces publicas à Jure Sufatiae sive West-  
 phalico praelatas esse, inter nullos non evidentissimè constat. Est pa-



riter Jus Saxonicum, & rectissimè sic appellatur. Henricus Leo, cujus potentissimus sitûsque ratione maximoperè aestimandus ab Albi ad Rhenum, à que mari Balthico ad Italiae fines extensus erat Saxoniae & Bojoariae Principatus, Nicoloto Vinidorum Principe anno MCXLVII. fuso, Episcopatu Lubecensi MCLXX. fundato, id Lubecensibus sanctione solenni promulgaverat, quò in Comitibus Herbipolensibus anno MCLXXX. proscriptò, Friderici I. Caesaris, Barbarosam quem vocant, urbem Lubecam c. MCLXXXIII. expugnantis ipsique Liberae Civitatis imperialis privilegia concedentis confirmatio augusta eidem accessit. Summam igitur Leges ferendi potestatem S. P. Q. Lubecensis consecutus ex Jure communi Caesareo Saxonicoque veteri pleraque, quae hucusque formam civesque Reipublicae Lubecensis deficere coeperant, transtulit, ut proinde in paucissimis ab utroque, Saxonico imprimis differat, nisi quod speciali consuetudine diuturnoque usu confirmata nonnulla Legislatorum voluntate, laxo temporis intervallo accesserint. Tanta verò tamque amabilis uti ad nostram aetatem, sic à primis natalibus ejus fuit salubritas, ut non Ordinis tantum Teutonici supremus in Livonia Magister à Senatus Lubecensis, Seculo XIII. Proceribus copiam juris laudati petierit, sed & Rostochienses, Stralsundenses, Wis marienses aliaeque Oceano Balthico adjacentes civitates priscis abhinc retrò seculis jure illò administratae editionis ejus primae ex tot MStorum varietate emendatius promulgandae maximo caperentur desiderio.

*Ad haec* singularibus quibusdam iisque antiquioribus Germani jûribus ac observatis, quibus explicandis insignem operam in pereleganti doctissimoque libello 1671. 8. typis exscripto Dn. Justus Georgius Schottelius impendere dignatus est, usi sunt, e. g. Jure acquirendi aliquid ex naufragio, Strand-Recht / Grund-Ruhr-Recht / Fahr-Recht / jure caduci, Bau-Lebungs-Recht / Budtheil / Weidmable / Jure Centenae, Cent-Recht / Freiß-Recht / Cruentationis, Baar-Recht / Decimarum, Zehend-Recht / Jure Gaeae, Au-Recht / Auen-Recht / Anger-Recht / districtus separati, Bau-Recht /



Recht / jure Geranii, mensurationis, Krahn-Recht / Jure hastato criminali, Spieß-Recht / publica municipali pace & securitate, Weich-Fried-Recht / jure pensionum promobilium, Män-Gassen-Zins-Recht / Rutscher-Recht / jure Sendico, quod ex synodali judicio competit, Send-Recht / Jure Vemico, Behn-Recht / aliisque compluribus ab autore laudato adductis.

*Praeterea*, Germanis ad elegantiores literas animos sereniores exque seculorum priorum gravedine & torpore excitatos sensim sensimque flectentibus, Jus Justinianicum successu temporis propter sanctitatem justitiamque, quâ praestat, seculo XIV. cum summa gentis Germanicae laetitia receptum maximâque animorum contentione doceri coeptum est, à Bonifacio IX. Erfordiensis Academiae a.C. 1392. introductae Jus Civile pariter & Canonicum interpretandi potestate Professoribus factâ. Postea, quod non possumus non confiteri, longè major Juris Romani inter Germanos emerfit domi dignitas, forisque, seculò XV<sup>to</sup>, autoritas, ea enim tempestate cum ad Italicarum, Bononiensis & Papiensis, Academiarum normam constituerentur passim in Germania Vniversitates Studiorum, ut vocabant, accersitis ex Academia inprimis Bononiensi, Doctoribus, quos Professores ex Italia appellabant, Juris Romani ac Feudalis notitia solidaque explicatio ad Germanos, solertibus auditoribus virtutum & scientiarum, quibus Romani non minus ac Byzantini Jureconfulti excelluerunt, aemulis disciplinam hanc ut vehementer gratam ita & salutarem amplectentibus, derivata radices egit altissimas, adeoque brevi temporis spatio peringens Juris illius peritissimorum multitudo per Germaniam increbuit; ex scholis autem in Curias & judicia translatum est, Maximiliani I. Caesaris Statuumque Imperii expresso, ut sententiae in Judicio Camerali, tanquam summo Germaniae Tribunali, juxta Leges Romanas pronunciarentur, consensu accedente & jubente, ad quod Assessores hactenus jure jurando fuisse obstrictos comprobatur O. C. 1555. T. 57. & O. P. 1577. T. 17. §. 8. Quam proinde uno plus seculo possedit, possidet & nostris temporibus Jus Romanum Justinianicum,



neum per Germaniam universam voluntariâ prorsus receptione vim juris communis, decisoriâque aequitatis & eloquentiae praesidio meretur auctoritatem, ob id ipsum, quatenus speciali regionis, provinciae, vel loci alicujus sanctione, statuto, aut consuetudine ipsi derogatum non est: ceteroquin enim non magis Legibus Justinianeis quam Leonis Philosophi aliorumque Imperatorum Graecorum Novellis, ut nullibi gentium Teutonicarum, sic eò minus alios inter populos unquam receptis se devinctos Germani confitentur.

*Tandem*, Imperatorum Byzantinorum Leges Juraque Romana Civilia in novas subinde formas redacta, totoque, quantum Imperii Orientalis, orbe, spatium est, in Curias revocata quod attinet, paucis sumus infrâ dicturi.

Ad *Britannos*, DEO opitulante, si descendimus, ibi, ut & in Gallia Sacrorum & Legum potestatis exercitium erat penes Druidas, sacerdotes & iudices, cum de omnibus controversiis publicis privatisque judicia, qui constituerentur, satis superque esset iis exploratum. De eorundem tamen Legibus, cum literis aliquid tradere non esset permissum, nihil constat, auctore Julio Caesare Libr. VI. de bello Gallico. Anno enim ante salutem hominum generi recuperatam sexagesimo bellicis Caesaris commerati auspiciis post Gallias debellatas *Britones* in provinciae Romanae formam redacti Romanae gentis Leges, eloquentiam, cum aedificiorum solidè, commodè & splendè exstruendorum peritiam, tum pontium & viarum publicarum structuram, quorum artificiosorum operum à tot retrò actis seculis maximè inscii censebantur, consecuti sunt. Tandem verò Honorio & Valentiniano III. Imperatoribus contra Pictos & Scotos ad Britanniae incolarum in clientelam & fidem ante quingentos annos à Julio Caesare susceptorum defensionem parum vel nihil, quod intestinis provinciarum aliarum bellis avocarentur, conferentibus, Britanni à Pictis Scotisque, uti quondam sub Hadriano, Antonino Pio & Commodo Septimio Severo & Caracalla bellis laceffiti, Rege Vertigerio, Anglo-Saxones & Cimbros, Hengisto & Horfa ducibus, ut hostium  
insul-



insultibus resisterent, è Germania evocarunt, amoenitate insulae alle-  
cti promissa sibi stipendia non fuisse exsoluta conquesti Britannos in  
Cornubiam, Cambriamque sive Valliam propulsarunt, septem suc-  
cessu temporis Regnorum, sub unius Saxonum Occidentalium Regis  
Egberti Essexiam a. C. DCCCVIII. Cantianos DCCCXXII, & Nor-  
thumbros DCCCXXVI. sibi subjicientis, sublatoque Britannico & Sa-  
xonico nomine, universam gentem *Anglos* impostertum appellari an-  
no DCCCXXVII. sancientis imperio coalescentium exordia molituri.

De antiquis Gentis hujus juribus, quae plerique Regum promul-  
garunt, omni auro pretiosioribus, ut paucis mentionem faciamus,  
consulendae sunt Anglo-Saxonicae Leges veteres, Guilielmo Lom-  
bardo interprete, cum Legibus Henrici II. & glossario, Cantabrigiae,  
fol. 1644. Item Anglicae Leges & consuetudines tempore Henrici  
II., justitiae gubernacula tenente Ranulpho de Glanvilla, 12. Lond. ut  
& Angliae Leges Anglico idiomate ab Eduardo III. usque ad Henricum  
VII. Londini 1545. fol. nec non H. Finch Collection des Loix d' Ang-  
leterre, Londres, 1613. fol. Leges *Parlamentarias, Militares, Foresta-  
les & maritimas* recentiores prolixius, prout temporum & locorum  
ordo & descriptio imperant, ad hanc usque exponere aetatem, paginae  
angustia non permittit.

Licet *Dani* Legibus olim destituti minimè visi sint, Haraldus  
tamen V. Gormonis II. filius, quem magnum & Christianissimum vo-  
cant, non solùm Danis, verum etiam Saxonibus, tam cis quàm trans  
Albim habitantibus, nec non Frisiis Leges religiose ab universis obser-  
vatas ferre studuit. Vid. Illustr. Pufendorfi introductio ad Hist. Dan.  
c. IX. Insequentibus temporibus VValdemarus I. circa annum  
MCLXXI. Leges Scanicas Sialandicas promulgavit ab Erico successo-  
re post hac illustrandas. Sicut & celeberrima illa de *Obstagio ser-  
vando* constitutio à Christiano IV. gloriosissimae memoriae Rege ac  
Io. Adolpho, Duce Slesvici & Holsatiae anno MDCIV. Haderslebi  
publicata ingenti pollet robore, sanctè observanda.

C

Tan-



Tandem, cum Regnum *Daniae* nunquam non ab antiquissimae gentis suae primis incunabulis fuisset electitium, *Fridericus III.* *Daniae, Norvagiae Vandalorum & Gothorum* Rex post bellum Svecicum à Statu Nobilium, Clericorum & civium jus superioritatis hereditariae ad utriusque sexûs propaginem extensum anno MDCLX. obtinuit, adeoque *Monarchici* summique Imperii ex Legibus, Recessibus, anteaque promulgatis constitutionibus peculiarem Codicem, ita quidem, ut omnia Monarchico summoque Imperio & hereditario Regno temporisque rationi consentirent, componi iussit. Cui operi quamvis anno MDLXIX. manus ultima esset imposita, Regum tamen laudatissimus anno MDCLXX. morte praeventus Iuris hujus recentissimi Danici editionem reliquit filio successori *Christiano V.* omnibus absoluti Imperii insignibus decorato & armato, cujus auspiciis denuò à Senatoribus Regiis revisum inque sex libros ab Erasmo Pauli Vindingio, cujus filium Virum eruditionis consummatissimae famâ illustrem *Paulum Vindingium*, Potentissimo Danorum Regiâ Consiliis Statûs, Conferentiae, Justitiae & Cancellariae, literarumque Graecarum Professore celebratissimum, quoties humanitatis & beneficiorum recordatione ducimur, non possumus non satis depraedicare, maximam partem conscriptos, digestum anno MDCLXXXIII. sub Corporis Iuris Danici sive *Codicis Christianei* inscriptione prodiit, cui postea jussu Regio, Dn. Henrici Weghorstii, I. V. D. Jurisque Civilis Romani & Moraliû in Regia Vniversitate Hafniensi Professoris, & (ex quo Celeberrimus Guilielmus VVormius, Olai, quem Caspar Bartholinus, in D. Conradi Aflaci locum, S. Theologiae Professor anno MDCXXIV. constitutus in Medicorum ordine successorem accepit dignissimum, filius, Medicinae Professor Regius, in summa Themidos Curia Justitiarius, S. R. Maj. Daniae & Norvagiae Consiliarius Status, Justitiae & Cancellariae, Historiographus & Bibliothecae Regiae Praefectus aeterna illa obiit,) Academiae Secretarii longè meritissimi, Fautoris nostri honoratissimi, Latina 1698. & Germanica 1699. translatio accessit.

Sue.



*Suecos* jus Romanum Iustinianicum exiguâ esse profecutos existimatione, Arthuro Duckio de usu & auctoritate Juris civilis in Dominiis Principum Christianorum Libr. II, c. 14. teste, noto notius est. Arctoos tamen Svecorum Reges jura sua antiqua ex juribus divino, Canonico & civili in multis mutasse locis ac emendasse, solidè demonstrat Joannes Messenius in epistola ad Gustavum Adolphum Regem Sveciae, editioni Legum Svecicarum operâ Ragvaldi Jagemundi Latinò idiomate donatarum Holmiae 1614. impressae praemissa. Ioannis quoque Loccenii de convenientia Juris civilis & Svecici dissertatio in eruditorum deliciis primas tenet. Qualem & operam, quae utriusque juris concentui convenientissimè respondeat, Illustris Stirnhöckii, Consilarii Aulici, in egregio de vetustis Sveonum & Gothorum juribus libro praestitam debemus. Vid. Holmia literata, p. 124.

Praeter *Leges Vplandicas*, quas si quis scrutari desiderârit, consulat oportet Io. Loccenium, Academiae Vpsaliensis Antecessorem, Antiquit. Sveco-Gothic. c. 2. *Westrogothicarum*, quoque *Sudermannorum*, *Westmannorum* & *Helsingiae*, rationem habendam ducimus: sicut & annotari pariter merentur *Leges maritimae Wisbyenses*, Io. Haedorphii studio juxta cum Legibus Dalicis, Barkoënsibus & Provincialibus Gothlandicis editae. Rhodo nimirum à Turcis a. C. MDXXII. occupatâ, iudicium maritimum s. nauticum ad VVisbyenses, insulae maris Balthico-Svecici, Gothlandiae, metropolitanos incolas, translatum est, & ab his iterum ad civitatem Lubecensem. Hodie quaelibet Respublica iudicio suo maritimo, Admiraltatis Collegium quod vocant, est instructa. In causis tamen dubiis quibusdam adhuc recurri solet ad iudicium Lubecense, Vid. Marquardus de jure maritimo. Seculi superioris togata inter Svecos Gesta in memoriam si revocamus, *Carolus IX. Gustavi I.* qui primus summum Majestatis Regiae decus in gentem suam *VVasiam* intulit, Regnumque ex electio, ut appellant, successu felicissimo in hereditarium evexit, filiorum natu minimus, anno MDCVII. Rex



coronatus, & MDCXI defunctus, Legem, qua Nobilis studia contemptui habens illis se innutriri non passus est, Nobilitate bonisque privatur, promulgavit Rege dignam. Sicut non tantum in id etiam atque etiam, ut Svecorum Leges *provinciales* à Divae memoriae *Carolo IX.* Rege anno MDCIX. publicatas, sed & Sueciae Regni *Urbanas*, quas & civitatum vocant, Gustavi Adolphi Regis ut doctissimi sic fortissimi mandato *MDCXVIII.* editas denuò Holmiae clō lōc lxxii. fol. & Londini Scanorum clō lōc lxxvi. 8. publici juris faceret, Dn. Loccenius suprà dictus incubuit.

Fas quidem & hic esset, ordine & distinctè de *Sarmatarum* Iuribus agere, sed dubio procul evidens est, antiquiori tempestate nullum prorsus Legum scriptarum apud *Polonos* fuisse usum, nec vetustiorum ullarum illis fieri ullibi mentionem, quas, sed pauciores sanè *Casimirus III.* Rex, magnum quem appellant, de quo supra, sobriâ prudentique mente Regno ditionique suae subjectis ferendas curavit. Binis abhinc, & quod excurrit, seculis, Sigismundo I, qui de Scythis, Moschis ac Vandalis tot vidit triumphos quot victorias bellicas, filioque ejus Sigismundo II. Augusto regnantibus, magis magisque antiquis derogatum, deque novis introducendis Legibus multò studio cogitatum est. Vid. Poloniae Regni statuta, fol. Cracov. 1600. Polonici Iuris similia cum jure Romano, curâ Theodofii Dresneri, 4. Paris. 1602. Item Petrus Roysius Maureus de rebus in Lithuanico auditorio ex appellatione judicatis, fol. 1570. ut & Jus Regni Poloniae ex Statutis & consuetudinibus ejusdemque Regni & magni Ducatus Lithuaniae studio Nicolai Zalaszovskii, I. V. D. & Prof. Cracoviensis Libris IV. comprehensum, & in Tomos duos distinctum, anno *MDCCLXXIX.* editum.

*Ruffis* propius si accedamus, recentissimarum gentis istius Legum ab *Alexio Michalovvizio*, Magno Moschorum Duce, qui anno *MDCLXXVI.* diem supremum obiit, *Petri*, Magnum quem vocant, *Alexiovvizii*, hodiè felicissimè regnantis, Patre, promulgatarum cum  
Jure



Jure Romano convenientiam dissertatione eruditissima nuper ostensum iuit Dn. Engelbrechtus Junior, cujus venerabili Domino Parente, Illustri Georgio Engelbrechto, Academiae Juliae Seniore Ordinisque Jctorum Antecessore Primario, Consiliario Guelphico, Praeceptore & Maecenate dudum usi fuimus.

*Orientalis Imperii Leges* ne silentio praeteriisse videamur, prorsus inter omnes constat, Jura Romana Civilia novos, varia quasi μεταμορφώσεις vultus in duta cives Graecos à temporibus Justiniani Caesaris ad annum *MCCCCLIII*. (quo augustissima Graecorum Imperatorum Sedes illa, CPolin quam nuncupant, ad Turcas acrius obsidioni insistentes tandem pervenit,) à prima ad benè vivendum institutione probè ductos, ambabus, ut dicitur, ulnis esse amplexos, principemque in Tribunalibus locum iis impertitos. Ad Jus verò Graeco-Romanum, sive *Orientalis* referebantur primo *LX libri Basilicorum* (ἐξακοντάβιβλον Graeci appellant,) ex Justiniani sacratissimi Imperatoris Institutionibus, Digestis, Codice & Novellis serie non inconcinna compositi, *Basilii Macedonis Leonisque VI. Philosophi auspiciis* ad finem perducti, & per *Constantinum Porphyrogenetam* anno seculi decimi octuagesimo sexto emendatiores editi, quorum unum & quadraginta Carolus Hannibal Fabrottus Latio reddidit, Graecorumque interpretum scholiis, quae absque hujus Linguae peritia intelligi nequeunt, annexis, publicavit, ceteris libris, quorum non habebatur copia, omissis. Deinde his accedit *Basilicorum synopsis* sive *Ecloga*, curante Io. Leunclavio, Latinè versa, cumque annotationibus Basileae 1575. fol. in publicam lucem emissa. Tertium huc spectant *Novellae diversorum Imperatorum*, Leonis Philosophi, Isaaci, Alexii, Joannis Comnenorum constitutiones. Item *Νομοκάνων* à *Photio Patriarcha CPtano* circa annum *DCCCLXXX*, ut Juris Canonici Graecorum esset breviarium, scriptus, Graecè post hac & Latinè ex Bibliotheca Palatina à Christophoro Justello Parisiis 1615. 4. editus. Tandem *Constantini Harmenopuli*, Judicis sec. XII. Thessalonicensis *Πρόχειρον*, & alia, de quibus vid. Jacobi Gothofredi *Enchiridion Juris*,



c. V. & VI. Vti de superioribus Gentium Europaearum, Hispanico, Lusitanico, Gallico, Anglico, Danico, Svecico, aliisque juribus consulendos censemus, *Dn. Samuelem Reyherum*, Codicis & Mathematicum in Celeberrima Christian-Albertina, à primis ejus exordiis, ad quinquaginta ferè annos Professore undiquaque celeberrimum in dissertationibus suis, quas hic secuti sumus, Virumque Magnificum Nobilissimum Consultissimum & Excellentissimum, *Dn. Burchardum Gottbelsium Struvium*, in florentissima hac Salana Jurium & Historiarum Professore, Consiliarium & Historiographum Saxonicum, illum Praeceptorem, hunc Promotorem & Patronum nostrum omni observantia ad urnam suspiciendum in Bibliothecae suae Juris selectae exquisitissimo tractatu.

Ad verba suprà allegata *Pr. Prooem Inst.* ut revertamur, ex ipsis sacratissimo Imperatori deducere visum est: *Legibus Rempublicam conservari: Legibus facinorosos coërceri: Armis hostes, qui rempublicam invadunt, repellendos: Et tandem armis victoriam comparari.* Hisce duobus enim, ut brevidicamus, nititur orbis, nimirum, ut à literis juventur arma, & ab armis literae sustineantur. Vtriusque gubernatio ad Principem spectat. Serenissimi EVGENIVS & MARLBOROVGHIVS Principes, *ex utroque, Literis ac Armis* verè existunt & profulgent Principes, tam *belli* quàm *Pacis Domini* divinitus constituti. Quarè tam arma, Rempublicam quae tuentur, quàm Leges eam quae exornant, à DEO, Rege Regum, IPSIS Numinibus quasi Tutelariibus concredita sunt & concessa.

Haec loco hoc & tempore de Justitia Serenissimorum EVGENII & MARLBOROVGHII Ducum rebusque rogâ gestis ad omnem posteritatem celebrandis dixisse sufficiat. Ad Fortitudinem bellicam summo Serenissimorum huic Principum Pari uti carissimam sic propriam ut deveniamus, complura gravissimaque judicia, quae Invictissimi Caesares atque Potentissimi Europae Reges & Principes de *Vtriusque* saepissimè virtute bellica, saepissimè de egregia hostiumque profligandi aciem peritia in ore memoriaque versantur omnium.

Au-



Auderem quidem vultu & adpectu EVGENII Fortissimi non solum exterritos, sed armis Eius ad internecionem usque plus vice simplici, cum turbaris acrius metus Achmetis & Mustaphae Sultanorum imperarent, prostratos in scenam exercitus producere. Auderem EVGENII ductu commemorare tot Pannoniae populos, in deditioem acceptos, captasque, ubi trans superioris Regni fines Danubius committitur Tibisco, naturae situ invias Hungariae urbes; Hungariae urbes? imò verò universam fere Hungariam, munimentis castrorum ubique gentium Pannonicarum extensis, augustissimis sacratissimi Imperatoris LEOPOLDI sceptris restitutam ordine, quo factum, recensere. Auderem tot Reges Principesque potentissimos, EVGENIO Victore, castris exutos dilucidè & iusta serie commemorare & ad aeternitatis EVGENIANAE notionem proferre, quae omnia quaeque singula campum dicendi majorem requirerent. Sed te appello tot annorum tempus triumphorum EIVS probè conscium & particeps: Vos Turcae, infensissimi hostium, profligati, Celtae navali pariter quam terrestri clade obruti totiesque, acie occisa, dejecti, vos Pannonos liberati, Germani, interque hos Boji, Svevi, Franci servati, Belgae egregiè defensi testes luculenti estis *Achillis hujus Italici* in Bello fortitudinis.

Sed quis mortalium *Herculis Britannici*, MARLBOROVGHII Bellicosissimi fortitudinem longè lateque ingentibus laudibus diffusam dignè efferat? Haec est dextra fortissima, quae Potentissimis Regibus gravissimum intulit terrorem, unoque impetu in hostes prorumpens internecione illorum justae Germanorum irae parentavit, gentis suae, Belgarum & Germanorum conservator & Palladium, quem gloriosissimae recordationis Caesar IOSEPHVS ex Britannis ab ipso Romanorum Imperii exordio primum & unicum, ut Meritis Famaeque EIVS immortalis aeternum statueretur monumentum, inter S. R. I. *Principes* clementissimè accersivit, *novo Mindelbeimensi Principatu* praepotentem reddidit, sessionisque & voti in Comitibus praerogativâ, publico S. R. I. Statuum consensu, dotavit.

Sere.



Serenissimi EVGENIVS & MARLBOROVGIUS virtute bellica *Uterque Magnus*, omnes antecellunt, dono quodam Providentiae pro-  
geniti, in quibus totas vires Bellona suas experiretur: animi & corpo-  
ris robore nulli summorum belli Ducum post ferendi, omnibusque,  
quos eloquentissimus Tullius pro Lege Manilia Imperatorias virtutes  
recenset, instructissimi: quibus fortuna indulgendo nunquam fati-  
gatur, celebritatisque fama in terris longè latèque omnibus pugnat,  
summae apud omnes Europae Reges ac Principes auctoritatis: qui  
summis ubique meritis Reges & Principes sibi habent devinctissimos.  
In quo Vtroque (absit dictis invidia) elucet *sapientia* Cimonis, Ha-  
milcaris, Canonis & Chabriae, de beilo ejusque sumtibus cogitan-  
do, de Marte feliciter conficiendo consilia cum reliquis belli Mini-  
stris conferendo, exercitumque probè gubernando: *Prudentia* The-  
mistoclis, Syllarumque in dimicando: *Pietas* Alexandri M. & Sci-  
pionum, à Supremo Numine victoriam rogando: *Justitia* Aristidis  
& Seleucorum: *Severitas* Manliorum Marcellorum, Gracchorum,  
in delinquentes dictoque Ducis minus audientes animadvertendo:  
*Clementia* Caesaris & Augusti, severitatem Clementiã temperandò:  
*Fidelitas* Phocionis, Thrasybuli, Pelopidae, Datamis, fidem belli  
Principi, militibus & omnibus praestando: *Modestia* Epaminon-  
dae, Miltiadis & Iphicratis, quantò superiores, tanto submissius se ge-  
rendo: *Liberalitas* Pompejorum in amicos aliosque Martis infor-  
tunio pressos: *Temperantiaque* & frugalitas Eumenis, Agefilai: ac  
postremò *Fortitudo Bellica* Lyfandri, Alcibiadis, Camillorum, Han-  
nibalis, Pyrrhorum, Demetrii & Drusorum. Celebrent Romani bel-  
lum Achaicum, Asiaticum, Samniticum, Vejentinum, Parthicum,  
Punicum, Macedonicum & Mithridaticum I, II. & III. Jugurthinum,  
Gallicum, Cimbricum, Lusitanicum, Celtibericum, Ligusticum, Ba-  
learicum, Syracusanum & Allobrogicum: bellorum discrimina cum  
Turcis & Gallis, cum tota ferè Europa bello arderet, totis viribus gesta  
totiesque impigrè renovata gravissima item sunt & difficillima. Ce-  
lebrent Romani praelia Claudiorum, Fabiorum, Metellorum,  
atque



atque Duilliorum cum Carthaginensibus, Pompeji M. contra Tigranem, C. Julii Caesaris & Germanici adversus Germanos; Prae-  
lia cum Turcis & Gallis praecipuè habita, cum totius Galliae arma  
in se *Vterque Dux* fortissimus converteret, paria, nisi majoris longe  
sunt momenti.

Vtriusque Principis, *EVGENII & MARLBOROUGHII*, ut Se-  
renissimorum sic Fortissimorum, Vtriusque Magni, Res Gestas labori-  
bus aeternitate nominis dignissimis in bello Gallo-Hispanico in primis  
Paceque perfunctas in his *Iliados Italicae & Odyssae Britannicae*, He-  
roicis numeris canendo, Poëticiis descripsi operibus. Vbi si qua licet  
pro celsissimae materiae dignitate minus luculenter nec pleniori ver-  
borum ponderosiorum enarratione forsitan pronunciata sint, spero ta-  
men fore aliquando, ut *Italicae Britannicaeque Musae* pro sua ex se-  
culis antiquissimis humanitate cognita propensissimoque in Divinam  
Artem hanc affectu meam approbent benevole foveantque Poësin.  
Quod si voto meo damnatus ex animi sententia consecutus fuero,  
non solum Operum, quae publicam, seculo partim superiori nondum  
elapso, hinc partim novo ineunte aevo, sedulâ non solum Latinorum  
Classicorum ad unum omnium, ac medii, ut appellant, aevi, sed &  
recentiorum, *Hieronymi Vidae, Eobani Hessi, Melancthonis, Stigeliï,*  
*Petri Lotichii, G. Sabini, Job. Forsteri, Frischlini, Grotii, Heinsiorum,*  
*C. Barlaei, P. Francii, R. Keuchenii, R. Neubusii, F. Taubmanni, Buch-*  
*neri, Ovveni, Conringii, Reineccii, Meibomiorum, S. Rachelii, Bal-*  
*dei, Audeberti, Bencii, Castilionei, Morbosii, Sannazarii, Scaligero-*  
*rum, P. Jovii, septem Poëtarum Illustrum Italarum, Menagii, Gos-*  
*kii, Schurtzfleischii,* aliorumque Poëtarum ut doctissimorum ita in-  
geniosissimorum lectione, quam primum tenerrima adolescentiae  
ferebat aetas, domi praemissâ, suspexerunt lucem, alteram eamque  
multo auctiorem auspicator, divinâ adspirante gratia, editionem:

- I. *Britanniam magnam, Rege GVILIELMO III. Triumphantem,*  
quo extemporaneae quidem, lentae tamen festinationis Poë-  
matii calore Regias gloriosissimi Monarchae Virtutes, quanta li-

D

cuit



cuit brevitatis amoenioris gratia, in ipso vernantis adolescentiae limine delibavimus :

- II. *Prussiae Triumphantis Libros III. in Coronam Serenissimi & Potentissimi Principis FRIDERICI, Borussiae Regis primi, de Regiae & Electoralis Domus BRANDENBURGICAE rebus per universam Europam immortali fama gestis : quarto pariter de Rebus Maximorum Regum, Divi FRIDERICI ut in terris pridem sic in coelis nunc gloriosi, Ejusque in Regno & Electoratu potentissimis Augustissimi successoris FRIDERICI GUILIELMI à primo hujus XVIII. seculi natali ad nostram tempestatem fortissime & gloriosissime gestis libro, cunctorumque Gentis Zollerianae Serenissimae Electorum Brandenburgicorum ac Regum Borussiae iconibus annexis ; Recentissimae autem editionis inscriptio erit: Prussiae Coronatae Libri IV. &c.*
- III. *Florens Orientale in Occidente Helmstadium, sive de Laudibus Professorum Academiae JULIAE cum celeberrimis in Oriente Doctoribus collatorum Poëmatum publicaturus ;*  
Sed & quae ex autographis literariis postremam passa fere elaborationis manum dudum in scriniis delituerunt :
- IV. *Periodum Anglo-Saxonicam secundam Britanniae magnae Regum, sive in Coronam Regiam hereditariaque auspiciantis successione Imperium Serenissimi & Potentissimi Principis, GEORGII LUDOVICI, Angliae, Scotiae, Franciae & Hiberniae Regis, Fidei Defensoris, Ducis Brunsvicensium & Luneburgensium, S R. I. Electoris & Archithesaurii, Panegyri : (proximis autem mensibus operis hujus ex Celeberrima hac Salana prodibit editio.)*
- V. *Guelphidos Coronatae Libros III. Omnium Anglo-Saxonicae, Danicae & Normannicae periodi Regum Marte & Arte res gestas complexos.*
- VI. *Londinum Φυσικώτατον, sive in Regiam Societatem Britannicam Scientiae Naturalis promovendae causa Caroli II. auspiciis regiis fundatam, Generalique XI. virorum collegio item Thesaurariis, Conservatoribus & X. Secretariis 1) pro Gallia, 2) Germania,*



mania, 3) Italia, 4) Belgio, 5) Svecia, Dania, Norvagia, Moscovia & Russia, 6) Polonia, Hungaria, Transsylvania, Turcicque Imperii & Persarum Provinciis, 7) Hispania & Portugallia, 8) India Orientali & Occidentali, 9. & 10.) pro Anglia, & XI. Subcollegiis, a) pro Medicina, b) Matthesi & Architectura militari, c) institutione liberorum, d) Mercatura, e) hortorum cultura & Rusticanis artibus, f) Artibus circa cibum & potum versantibus, g) equitationibus, navigationibus, machinisque aquaticis &c. h) textoribus, pannificibus, i) & k). Artibus aedificatoriis, Architectis, doliariis, torneatoribus &c. l) Musicis, pictoribus, caelatoribus, typographis &c. instructam, ejusque Membrorum celebratissimorum in Scientiam Naturalem laudatam Illustria Merita Panegyricum:

VII. *Berolinum Polybistoricon*, sive in Regiam Scientiarum Societatem à Serenissimo & Potentissimo Borussiae Rege FRIDERICO I. Berolini institutam, ad Per-Illustrem & Excellentissimum ejus Praesidem, Excellentissimos Senatores, Membraque celeberrima Panegyricum:

VIII. *Austriae Imperatricis Libros XII.* quibus res à primo Gentis Austriacae Serenissimae Imperatore, Rudolpho I. Habsburgico, Alberto I. Friderico Pulchro, Alberto II. Friderico IV. Maximiliano I. Carolo V. Ferdinando I. Maximiliano II. Rudolpho II. Matthea, Ferdinando II. Ferdinando III. Ferdinando IV. Romanorum Rege, Leopoldo I. & Iosepho I. ad Augustissimum usque & Invictissimum CAROLVM VI. Caesarem felicissime inter Christianos hodie Imperantem gestas ex ultima seculorum pristinorum vetustate ad omnem posteritatis memoriam conquistatas ab anno MCCLXXIII. ad nostra praesentis aevi tempora ut exponerem, omnem, ne subjectissimae symbolon deficeret observantiae, cum DEO ter Optimo, ter Maximo impendi operam. Prodibunt haec, supremo favente Numine, Poëseos Heroicae Opera, cum Dissertatione, Praefationis loco, de Germania Σεβαστη, παραβασιλειοτόκω, ubi quod omnibus fere Europae Gentibus, Hispanis, Gal-



lis, Anglis, Scotis, Hibernis, Suecis, Danis, Norvagijs, Polonis, Hungaris, Bohemis & Borussiae *Germania nostra Augusta*, à vetustissimis retrò & recentissimis abhinc seculis divino obtigerint consilio *Reges* non tantùm Potentissimi & bellicosissimi, sed & hi ex Serenissimarum *Germanici sanguinis Vxorum* conjugijs auspiciatissimis stirpes suas Regias continua tot seculorum serie florentissimas deduxerint, quanta fieri potuit ἀριβεία, à nobis est propositum & demonstratum.

**IX.** *LEOPOLDVM Πανφυσικιατρικοσωτήρα, sive in S. R. I. Academiam Naturae Curiosorum, Divi Caesaris LEOPOLDI auspiciis clementissimè introductam* ejusque Conservatorum & Membrorum excellentissimorum in laudatam Scientiam Naturalem itemque Medicinam Merita ut ferè immensa ita gloriae aeternitate illustria, cùm omnibus his ultima ferè per Supremi Numinis gratiam manus dudum, ut diximus, Operibus ex voto accesserit; sed & alia, quae *Poëticen* non attinent, (si in *Rem Poëticam* exceperimus *Introductionem*), prosaicae orationis Scripta, quam primum Clementissimò Divinae voluntatis nutu spartae docendi publicae praepositus fuero, officii mei non immemor in publicum proferam, à me, si DEVS corporis vires fartas tectas, ut hucusque, conservaverit, strenuè partes meas acturo certò certius expectanda, ita, ut omnia in Divini Numinis gloriam optimarumque artium emolumentum ornamentum & commodum redundant.

Ne verò, quantum opinione auguramur, ad admirationem Te, Lector candide, traducat haec de *varijs Gentium Europaearum iisq; praecipuis Juribus* à Medico exarata Praefatio, diffiteri quidem non possumus, omnem nostram curam atque operam ad *Medicinam*, studiorum nostrorum ἔργον & cardinem nos contulisse, in *Christian-Albertina* celeberrimorum non solùm *D. D. Schelhammeri & Valdschmidii* diligentia Osteologiam, Physiologiam & Institutiones Medicas, divino annuente favore, perdoctos, Philosophiaque naturali ad recentiorum mentem accommodata variisque experimentis illustrata, cum *Regiam Hafniensem* adiremus, *Illustri D. D. Caspate Bartholino, juniore*, Praeceptore nostro, ut vocant, privato, praeunte, imbutos!

mer-



morborum pectoris historiae ex *Dn. Olai Vormii, Junioris*, praelectionibus cognoscendae compotes redditos: nac non *Dn. L. Joannis Molenii* operâ ad affectus corporis humani, eorumque curam addiscendam perductos, ipsam quoque quam *D. D. Georgius Fridericus Francus de Franckenau* corporis humani fabricam & partium usum, additis necessariis demonstrationibus tradere solitus erat, memoriâ & scientiâ comprehendentes; sed & sex Dissertationibus publicis: *Prima* de Studio Botanico rectè instituendo: *Secundâ* de Studio Anatomico & partium corporis humani natura & usu ritè cognoscendis: *Tertiâ* de Fundamentis Artis Medicae rectè percipiendis & materiae medicae ulteriori notitia, sub clypeo *D. D. Guntberi Christophori Schelhammeri*: *Quarta* de Ictero, moderante *D. D. Guilielmo Hulderico Waldschmidio*: *Quinta* de tribus Naturae regnis, & *sexta* de Motu Cordis, sub *D. D. Io. Ludovici Hannemanni* praesidio *Cbilonii* à me, summi Trinunius Numinis auxilio, defensus, licet de *profundissimae eruditionis & summo cum candore habitis* Viri Illustris *D. D. Georgii Volffgangi Vedelii, Senioris*, *D. D. Io. Hadriani Slevogtii*, & *D. D. Jo. Adolphi Vedelii, Junioris*, acroasibus, in cathedra publica & privata institutis nihil proferamus, alia, DEO propitio, occasione, eo, quo par est, ordine easdem commemoraturi.

Sed tamen illi coelestis benedictionis beneficio, quod prius, Arti quàm Asclepiadeae operam dedimus, ad Jurisprudentialia studia investiganda concitati mansuetioribus Themidos Musis in Jusitiae sacrariis vitam ducentes nos devoverimus, par nunquam alterum eoque in me majus vix extat. Probè autem primum pervidimus, in primis Astraeae fundamentis, Pandectarum doctrina, Augustorum Rescriptis, Jure Naturali, Feudali, Ecclesiastico & Publico solidissimè explicandis in *Electoralis Vitembergensi* quam fuerint perspicacissimi *D. D. Gotthofredus Strauffius*, *D. D. Michaël Georgius Heberus*, *D. D. Io. Henricus Bergerus*, *D. D. Caspar Henricus Hornius*, & *D. D. Gotthofredus Szevus*, Antecessores consummatissimi. Deinde in *Academia Julia*, ut scientia & doctrina, ita eloquentiâ excellentissimos deprehendimus *D. D. Georgium Engelbrechtum, Seniore*, *D.*



*D. Io. Henricum Böttcherum, D. D. Io. Gotbardum à Boeckellen, D. D. Ioannem Eisenbartum, D. D. Ioannem Verlhofium, & D. D. Andream Homborgium, maximi Jureconsultos meriti & nominis, Porrò celebratissimorum D. D. Nicolai Martini, D. D. Samuelis Reyberi, & D. D. Simonis Henrici Musaei, Jureconsultorum post facta etiam aeterni laborum suorum suorum praeconii participum reditorum institutionem gratissima mente deveneramur, praeter dissertationes binas solennes, alteram de Officiis Judicium, alteram de Optionibus tam masculino quam foeminina, in Jctorum acroaterio progugnatas, in hebdomadariis quoque die Veneris ad ductum Jurisprudentiae Romano-Germanicae forensis à B. D. D. Georgio Adamo Strudio in compendium redactae instituendis Disputationibus publicis Respondentis perpetui, laudato D. D. Samuele Reybero, Codicis & Mathematicum Professore Praeside, quamdiu in Musarum Holsatarum commercio substitimus, coelesti favore adjuti provinciam tuentes. Sed quantum, bone DEVS, eruditionis ex celeberrimis Illustris D. D. Samuelis & D. D. Io. Samuelis Stryckiorum, Illustris D. D. Christiani Thomasi, D. D. Io. Petri Ludevigii, D. D. Justi Henningi Böhmeri, D. D. Jacobi Friderici Ludovici, D. D. Nicolai Hieronymi Gundlingii, & D. D. Andreae Götschii, Justitiae Sacerdotum eminentissimorum, Scholis in Regia Fredericana percepimus!*

Licet porrò, quoniam *Poësis* ornamentum maximi axiomate dignissima habeatur, mortalium nemini ulla supersit dubitatio, Artium tamen illa divina specialem & primariam eruditionis partem non constituit, ut etiam vir doctissimus quis esse possit absque *Poësi*, cum tamen *Poëtae* dignitatem nullus sustinuerit, nisi vir doctus. Quae de causa cum Tullii (m) testimonio omnes Artes, quae ad humanitatem pertinent, habeant quoddam vinculum, & communi quasi cognatione quadam (aliae laxius, strictius aliae) inter se contineantur, cohaereantque (quis enim Encyclopaediam in *Poëta* πρώτως καὶ κυρίως tali non requirat, & quin *Poëta* πεποικωμένως elegantiss omnibus instructissimus sit oporteat, inficias iverit?)

pro-



propter consensum & differentiam utriusque haud vulgarem, *Eloquentiae* studiis artibusque ob ingentem & copiosissimum in *Epicis*, *Dramaticis*, *Bucolicis* & *Eidylliis* usum, & ut affectus animorum varias in partes docendi causa ritè commoveamus, prima nostra aetas fuit dedita, *litteraturae Graecae* humanioris fontibus exhauriendis nunquam neglectis, ut sive in rebus Divinis, sive naturalibus, moralibus & artificialibus olim occupemur, scitè fictis vera imitari, poëticoque spiritu carmen animare, & orationem prosaicam per periodos nunc concisiores nunc prolixiores liberius, sed sine certa syllabarum mensura fluentes numeris vincturi metricis tersam istam veteram Romanorum sermonis puritatem, verbis congruis sensa mentis perspicuè, luculenter, dignè, plenè & graviter effe-  
rendo exprimeremus.

Cùm insuper, praeter studii *Philologici* & *Critici* elegantiam & *Mythologicae* sapientiae arcana utriusque tam *sacrae* quam *profanae* profundior *historiae* cognitio ad prudenter apteque efformandam Panegyri rerumque gestarum infinitas circumstantias ibi significandas maximè faciat, in hac, quamdiu *Vitembergensibus* accensebamur Musis, B. Dn. *Conrado Samuele Schurtzfleischio*, apud *Helmstadienses* verò D. D. *Heinrico Meibomio* & B. Dn. *Caspere Cörbero*, in *Dania*, Dn. *Ioanne Bircherodio*, ac ad *Regiam Fridericianam Hallensem* translatis, D. D. *Io. Petro Ludevigio* & D. D. *Nicolao Hieronymo Gundlingio*, Historicis ubique gentium celeberrimis, Praeceptoribus nunquam satis depraedicandam in docendo dexteritatem & candorem adhibentibus, per DEI gratiam usi sumus. Illius vero, *Historiae* nimirum *sacrae* intuitu, antiquitates ecclesiasticas ex eruditissimis D. D. *Io. Andreae Schmidii*, Abbatis *Mariaevallensis* Reverendissimi, in *Historiam ecclesiasticam* D. D. *FridERICI Spanhemii*, & D. D. *Adami Rechenbergii* commentationibus privatis, item cùm binis posthac vicibus *Historiae ecclesiasticae* à se locupletissimè compositae compendium interpretaretur, perdocti: Eodem ibidem Praeside *Dissertationem* *Historico-*  
cle-

(m) Cic. Crat. pro Anchia.



clesiasticam de Insignioribus veterum Christianorum Formulis nostro Marte elaboratam publice in Juleo majori defendentes.

Tandem cum πρώτως καὶ κρείως Poëtae nomen & dignitatem ferre nullus possit, nisi Philosophia instructissimus, ad disciplinam hanc ut excellentissimam ita summè necessariam animum tam in Academia Vitebergensi quam Julia adjunximus. Ne de aliarum in & extra Germaniam Universitatum Philosophis, eorumque docendi peritia prolixius jam dicamus, alias ex merito tanta eruditionis lumina celebraturi. Omnis tamen absit jactantia verbis, nostri enim ingenii vires perquam exiguas satis superque habemus exploratas, divino moniti oraculo: (n) ἐκ μέγας γινώσκουμεν, ἐκ μέγας προφητεύουμεν.

TIBI verò, ð! DEVS Clementissime, qui à tenerrimis infantiae annis, cum pater & mater ad divinum adspectum TVVM evecti, me de relinquerent, meas suscepisti partes, me fovisti, Nutritor meus, meque servasti Protector meus, ex intimis cordis penetralibus suas pro incolumitatis robore ingeniique viribus concessis, quodque adeò gratiae divinae TVAE summò beneficiò tum dictis Operibus tum labori praesenti finis ex animi sententia sit impositus, decerno agoque gratias. De Tuo interim, Lector candide, favore impense grato, non est quòd dubius haeream. Multa quidem, ne prolixius justo in nimiam Praefatio molem excresceret, in concisa de variis Gentium Europaearum iisque praecipuis Juribus omissa largimur, sed opportuno, & proxime forsan, loco auctius & ingenti elaborata studio, ne in aliquo defecisse videamur, quae accedent. Dabantur Jenae, in Salana ut celeberrima sic florentissima, altero post Pacem Sacro Romano Imperio Aquis Helvetiorum VII. Idus Septembres reddita mense, IX. Calendarum Novembris, quo sexaginta sex abhinc annis Pax VVestphalica, Marte tricennali composito, & Publica hominum posteritati Concordia dono divino est restituta. Vale, nostrisque, inquam, conatibus, ut quondam, honestissime cupias. A. O. R. MDCCXIV.

(n) 1. Corinth. XIII. 9.

35 )o( 52

Io.



IO. AVGVSTINI FASCHII  
ILIAS ITALICA,

SIVE DE REBVS

A

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

**DN. EVGENIO,**

DVCE SABAVDIAE,

HEROE IN TOGA AC SAGO, EQVITE AVREI VEL-  
LERIS, SVMMO MILITIAE S. R. I. PRAEFECTO, ET  
EXERCITVVM CAESAREORVM ARCHISTRATEGO,  
CONSILII BELLICI IN AVLA CAROLI VI. IMPERA-  
TORIS ROMANORVM ET HISPANIARVM REGIS PII,  
FORTIS, AVGVSTI, PRAESIDE, DVCATVS MEDIO-  
LANENSIS GVBERNATORE SVPREMO, AVGVSTIS-  
SIMI ITEM INVICTISSIMI QVE CAESARIS PVRPV-  
RATO AC INTIMAE ADMISSIONIS MINISTRO,  
ET RELIQA,

*GLORIOSISSIME GESTIS*

**LIBER VNVS.**

**E**VGENIO, Mars, siste gradum, dum  
summa triumphos  
Plus nescit fortuna sequi, cum subjicit Istrum  
Austriacis, delet Selymos, Oriente subactô,  
Signaque Dalmatico propulsat Turcica campo.

E

EV-



**EVGENIO**, Mars, siste gradum, celsissima  
Dextrae

Facta, quibusve potens Superum fortuna supremis  
Hoc cum rebus agat, leviori noscere sensu  
Mens demissa rudisque nequit, licet efferar altus,  
Et Jovis armigero quantumvis alite vectus  
Evehar; excelsis tamen altior aetheris astris  
Proxime Dis, DVX, proveheris, pugnator Olympum  
Transgrederis, tenero se bellacissima vati  
Fama, tropaeorum pars maxima, plena triumphis  
Gloria subducit, tenuem neque grandia plausum  
Gesta ferunt, nec Magne, simul finis omnia (denso  
Agmine dum surgunt) seclis celebrare futuris.  
TE tamen, Eoum cujus fortuna per orbem  
Signa triumphatum retulit, titubantis Iberi  
Terror, & Auscorum domitor, cui pontus & aether  
Militat, ac ausis Cujus favet omne Tonantis  
Imperium, DVX CELSE, canam, Batavumque salutem,  
Praesidium Rheni, destructa palatia Thracum  
Principis, Austriaco fractos Mavorte tyrannos  
Despoticos, & Liligeri dispendia Celtae.  
Accipe laudis opus decantatosque triumphos  
Accipe: si famae tabulis victoria quondam  
Bellorum memoranda Ducum, vel laurus ovantis  
Ducitur, & summis viret ardua gloria gestis,  
Accipe, custodique TVAE monumenta sarissae.

Threicea



Threicea de sede gradum proferre superbum,  
 Urbem, terrarumque caput delere Viennam,  
 Et Christi gentem crudeli excindere ferro,  
 Barbarus immani rabie atque furore tyrannus  
 Arserat, ut Patriam Sanherib Saracena cruentus  
 Subjuga protraheret, toto jam Caesar & unus  
 Liber in orbe foret Rector, quem turbine nullo  
 Excuteret fortuna ferox, Procerumque potestas  
 Imperii. Nisi terribilem feriisset Olympus,  
 Et libertatem Germania pectore forti  
 Inconcussa suis tunc adseruisset & armis  
 Coniunctisque repressisset tum viribus hostem,  
 Qui Proavum solers animo vestigia celso  
 Prisca legens fortes Carolos victricibus armis  
 Exaequas studio simili paribusque triumphis,  
 Castra DVGIS celebris Turcas adversus & Istrum  
 Victor celse, locas: Exercitus audit Achillis,  
 Cujus habes praefecturam roburque tueris.  
 Provocat audaces Selymos ad praelia Martis  
 Dextera Vestra potens: Austros Patriaeque salutem  
 Securam praestare cupis, vel fortis ab ipso  
 Ense mori. Belli Superum clementia coeptis  
 Circumspecta favet. Victor blasphema trucidas  
 Agmina. Danubio contermina castra *Mobazi*  
 Austriacas memorant invicto corde phalanges,  
 Et credunt Libycos Caribus certasse leones,  
 Testis inauditae passim fit *Bosnia* lauri,

E 2

Et



Et sensere Scythae, vinci non posse SABAVDVM  
**EVGENIVM**, Victrix, DVCE, nostra occidit,  
 eodem,

Turma Getas, & dum cursu fortuna secundò  
 Obtigit, Achmetidas ietu pessundat in uno.

Quid? *Salanckemum*, *Grajae* & conterminis *Albae*  
 Conflictus stupet ille TVOS, Martemque ferocem  
 Omnis ager. Fortem cupiit transcribere famae

**EVGENIVM** modò *Zenta* DVCEM, per tela,  
 per enses

Cum primus rueres, & vitae munere spretò,  
 TE maris Euxini dominis Phrygiaeque monarchis

Ingereres & bellatrix moenia Thracum  
 Subrueres, Oriensque TVIS succumberet armis.

Pergis, & adsvetas Cilicum ductoribus arces  
 Hostibus infensis aufers. Pro Caesare totum

Expugnas, DVX, Danubium. Submittit habenas  
 Castraque *Strigonium*: *Vicegradi* culmina cogis

Dedere se. Plures praecox victoria terras

Claustra feris Lydiis habitata ipsumque Tibiscum

Mox aperit. Quae praecipiti spectantur & altâ

Rupe ruunt arces, & propugnacula *Vaiczi*

Concutis, & multâ Turcis vi surripis urbem.

Hellesponticae *Neoselia* conscia cladis

Moenia spontè suâ superas & castra Polonis,

*Eperias* veteres, passim confinia sceptris.

Suc-



Succedunt castella *TVIS Hatuana* triumphis,  
 Antea cum faustè *Novigradi* cornua nisu  
 Magnanimò combusta forent, prostrataque tandem  
 Caesareos admisisset *Cassovia* fasces.

Ast urbs, Pannonii caput & Regina per omnem  
 Danubium Imperii, celsam vocat *Austria Budam*;  
 Aggeribus vallisque triplex, quasi scena palaestrae  
 Et Saracenorum clarissima Martis arena  
 Inter complures alios Heroas, & ipsis

**EVGENIIS DVCIBVS** Mysios calcantibus  
 hostes,

*Austriacis* cessit *Superis*, & lene *Viennae*.

Ac **LEOPOLDORVM JOSEPHORVMQVE**  
 suorum

Haec perferre jugum voluit. Quis robora *Pesthè*

Fregit, & *Essecium*, gavisò *Caesare*, turmis

Quae *Solymanorum* subduxit *Martia* virtus?

Hoc opus **EVGENII DVCIS** est, hujusque

*Posega*

Robore capta fuit. Tantis ductoribus, *Erlam*

*Caesar* habet: *Styriis* ita *Colosvvaria* rursum

Accessit *Valpoque* lubens se fascibus addit.

Bellum *Quinque* dein *Templis* indicis, & urbem

*Victrici* capis ipse manu. *Segedinia* quassas

Oppida: *Mungatiae* metuenda cacumina rupis

Conteris, indigenaeque ferunt **TIBI** vina *Tokaei*.

E 3

Et



Et tunc *Regalem Graecamque* intercipit *Albam*  
*Austriacae* **EVGENIVS** praefectus ubique cohorti,  
 Posteaquam *Petruvaradinum* compede duro  
 Strinxerat, & longo abstulerat *Mavorte Gradiscam*.  
*VVidinum* reparas, & capto, *Nissa, Sigetbo*,  
 Se retinere nequit. *Scopias* convellere turre  
*Celsaque Canisii* tot propugnacula casu  
 Vincere consilii docuit prudentia vestri.  
 Excelsae pariter *VVaradini* impulsibus arces  
 Fulmineis patuere *TVIS*, ipsamque *Gradivo*  
 Restituere *TVO* felicia bella *Gyulam*.  
 Terrorem sic barbaricis *Pisidumque* tyrannis  
 Incutis; *Herculeo* *Saracena* furore trucidas  
 Agmina; praegrandi *Germanae* scommata gentis  
 Diluis exemplo, validasque *Propontidis* arces  
 Destruis; *Osmanidas*, *DVX* invictissime, bello  
 Sternis, & *Hungaricis* expellis fortiter *Hebrum*  
*Imperiis*, omnemque extorques hostibus *Istrum*.  
**TE DEVS** *Austriacis* *Agamemnona* misit *Olympo*,  
 Felicem impavidumque *DVCEM*, qui *Marte* secundò  
*Caesaribus* magnis ferratas *Pannonis* arces  
 Restitui faceres clarus bellator & *Ajax*.

Gallia bellatrix posthac *Germanica* rursus  
 Regna, *Palatinae* trabeas ac ardua gentis  
 Culmina, *Vangiones* claros, *Vbiúmque* *Galeros*  
 Verberat infaustò bellò, trucibusque *farissis*

Di-



Dilacerat: praecrudeles exurgit in iras,  
 Et positis castris, tot propugnacula Rheni,  
 Durò Marte, furore ferox, certamine promptus  
 Subruit: Eiffalias, discussis moenibus urbes  
 Destruit, ac Vbiis diffusas finibus arces.

Volvit at Herculeo sub corde **SABAVDVS ACHIL-  
 LES**

Talia: magnanimus lateri Imperialia cogit  
 Castra suo. Dum consiliis Alemannia discors  
 Scinditur, & Rhodanum prostertere fluctuat anceps;  
 Ecce **SABAVDORVM DVX** Invictissimus alto,  
 Militiae Dux vectus equo prorumpere in hostem  
 Vi statuit nullasque moras permittere bello.  
 Libertas Patriae nutantis, acerba Mosellae  
 Vulnera, destructusque Nicer, pulsusque dolorem  
 Auget ubique Lycus, sed fata serena Deosque  
 Ipsos jam melior svadet sperare faventes  
 Caussarum belli series, justamque suprema  
 Bellonam fortuna fovens. Nova praelia Gallis  
 Nunciat, indomito confringere Lilia bello  
 Ardet, & armatis Rhenum reparare lacertis.  
 Te, Medum domitor, Latiae Te, conditor Urbis  
**EUGENIVS** virtute refert DVX victor, & olim  
 Magnus Alexander tantis se agnovit in armis.  
 Hic Germanorum Priamus, clarusque paternis  
 Et celebris Proavum per secula fluxa tropaeis

Vin-



Vindicat exustos Vbios, ultorque vetustae  
 Libertatis adest. Non dira pericula Martis  
 Heroos revocant animos, non fulgura terrent,  
 Aut ferratorum vis imperiosa globorum.  
 Non retrahunt acti gelidis Aquilonibus imbres,  
 Nec calor, aut glacialis hyems, udaeque pruinae.  
 Ignea jam calamis agros Cerealibus aestas  
 Vestierat; mediis sol splendidus alta tenebat  
 Aetheris, & laetum torrebat Junius orbem,  
 Armis se **EVGENIVS** cataphractus Marte cru-  
 ento

Creta Deo munit Soboles. Hic fortis Agenor  
 Audet in armisonos ipsis consurgere Celtas  
 Solstitiis, Heduum fastus Ararimque superbum  
 Frangere, braccati Ligeris compescere civem,  
 Captivumque novis Rhenum annumerare triumphis.  
 Inlubribus tu quæ fortissima gentibus arcem  
 Metropolinque facis, Latiarum & Regis aquarum  
 Eridani circumspumantes adspicis undas,  
 Subdita Caesareis *Mediolanensis* habenis  
 Numinibusque, ferax regio, tum Principe belli  
**EVGENIO**, Austriacis jam prima reposceris armis.  
 Moenia portentosa, labor Tartessus, Olympi  
 Aemula, stant invicta quidem, celsoque minantur  
 Vertice: suffossis **NOSTRVM** frustrare Camillum  
 Ignibus astutus Bitutrix molitur, & uno

EV-



**EVGENIOS** magnos occidere nititur ictu.  
 Haud timor absterret, nec sanguinis horror, & ensis  
 Strictus, & aetherae pugnans ex moenibus arcis  
 Impavidos miles retrahit: contermina sylvis  
 Flumina complet atrox rabies: per stagna, per undas  
 Itur, & in muris stantes discerpimus ictos  
 Cenomanos. Iphin, Sthenelos, fortemque Choraebum  
 Dejicimus: validae caesis custodibus urbis,  
 Plus ultra, DVX, progredere, violentius arces  
 Impetis: Andegavos à fronte lacessis & Auscúm  
 Agmina: castellis trucibus modò fortius instas,  
 Et capis invictis pro Caesare Pergama dextris.

In Latio tandem bellis, victore **SABAVDO**,  
 Compositis, majora statim sic, Marte jubente,  
 Inter Germanas emergunt praelia gentes.  
 Prisca recensque Italúm sicut surgentibus aetas  
 Arcibus intumuit, passimque tot exhibet urbes.  
 Sic celsas speculas & propugnacula dictu  
 Plura lacertosus sistit sublimia Rhenus:  
 Suntque aliquot statio pulcherrima saepè Deorum  
 Thessala numinibus Tempe: Pars altera Bajas  
 Passim sufficiunt Vbiis, Capuamque Galeris.  
 Eminent, haecque inter caput imperiosa superbum  
*Bonna* levat, veteris facies & norma Carysti.  
 Cum multis aliis heic Rector Prussus in iras  
 Exsurgit veteres: Rhodano servire Mosellam,

F

Libera,



Libera, Tencteros, & clara vocabula, Celtis  
 Liligeris: Angrivarios succumbere Gallo,  
 Ac prisis Amisi sceptris inhiare Cadurcos.  
 Urget & excelso grave bellum suscipit ausu  
 Invisi Rector Pregelae: Rex alligat ensem,  
 Et Sylvanectas contra se Gorgone munit  
 Terribili: Medios Arvernos inter & Auscûm  
 Agminibus cinctus Bonnam furibundus ad urbem  
 Fulminat, obsessas Gallorum Regibus arces  
 Victrici eripiens dextrâ, sed, CELSE, Duacum  
 Victor depugnas, & Flandria Gallica jaçtat  
 Quas Tornaci arces, vincis, Superumque Tiaris  
 Restituis: longo dispendia grandia luctu  
 Lilia flent: Nostri DVVIS his infrenduit ausis  
 Fractus Arar: Nostros Agamemnonas hosce SABAV-  
 DOS  
 Fulmina, malleolosque putat, qui saxa, paludes  
 Concutiant, Turcas profugos & atrocias Gangis  
 Fulmina proculcent: longo queis Sequana tabo  
 Lividus atteritur sensim, Lemovixque fatiscit.  
 Rhenus ut invisiti miracula tanta SABAVDI  
 Vidit, & ut Rhodanum infractis tremefecerat amnem  
 Viribus, & Celtis queribundis abstulit altas  
 Gallorum EVGENIVS strictis DVX ensibus urbes;  
 E vitreis sensim laetum caput extulit undis.  
 Illi de summo pendens in pectore mento

Hor-



Horrida, candidior promissaque barba fluebat,  
 Obliquis fluviis crassisque paludibus alto  
 Corde recumbebat, viridi circumdatus ulvâ,  
 Longâ canitie multis venerandus ab annis.  
 Ille senex plausus inter mediosque triumphos  
 Sponte suâ facit haec tot vota serena **SABAVDO**  
**EVGENIO**, & laudes se se dissolvit in istas:  
 Archistrategus erat Germanorumque supremus  
 Ductor *Badensis*, fortis *Ludovicus*, & ipso  
 Prisco Marte Deo, sumtis, robustior, armis.  
 Is bellis mediis ac inter praelia natus  
 Odrysiô genitore, potens & grande Mosellae  
 Ac Rheno mihi robur erat: per plurima victor  
 Pro me lustra stetit ferri contemtor, & omnes  
 Pronus in adversos ictus: concussit atroces  
 Mandubios, Rhodanique diu grassatus in undis  
 Ivit ad extremos Senones, metuendus habenis  
 Borboniis. Si lustra retrò modò fluxa recordor,  
 Ille Navarraeas fregit quam saepè cohortes,  
 Et vice plus unâ cataphraeto inimica lacerto  
 Lilia Teutonicis labentia Lilia bellis  
 Contudit, inseruitque suis insculpta tropaeis.  
**MAXIME DVX**, ipso hoc Ludovico non minor olim  
 Qui Patris Herois vestigia grandia gressu  
 Cordatò insequeris, genitorem robore mentis  
 Vincis, & hunc longè luperas majoribus ausis,  
 Si Patriae vindex Rhodanum Ligerimque nocentem



Impetis & ponte exstructo TVA dextera Celtam  
 Obruit, à Superis ipsis fortuna, triumphum  
 Proveniunt, Martemque TVVM Regnator Olympi  
 Prosternendo Heduos, Isaramque fugando juvabat.  
 Solus cura potens mihi praesidiumque superbum  
 Nasceris, & nobis animos priscumque nitorem  
 Restituis, DVX MAGNE: proin secura futuro  
 Cursibus obliquis Nemetum per pingvia terrae  
 Jugera Vindelicos latè diffusa per agros  
 Flumina nostra ruunt, resonò jucunda susurru  
 Flumina, TE custode meo, TE vindice rerum.  
 Non Lemovix urbes nostras suffultaque vestris  
 Castra patrociniis rursus confringet, & arces  
 Celta meas: Vbios, vicina palatia, Belgam  
 Pace rigabo meâ, ripis formosus amoenis.  
 Tranquillis noster Batavorum castra fluentis  
 Alluet usque latex: Vahali miscelimur aevo  
 Perpetuo: nostrae junctis firmabimus undis  
 Foedus amicitiae: Nostris haud Gallia rursum  
 Puppibus insidias struet, impletosque penates  
 Mercibus eripiet: Mihi Saxo-Britannica Scotus  
 Carbasa credet, & Hesperias in Regna triremes  
 Francica saepè veham. TE, certò haec omnia fient,  
 Defensore meô. Munimine protege grandi  
 Me nostrasque rates. Brabantia tota profundò  
 Naviget usque meô: commercia mutua Scaldis  
 Tradat & accipiat, Dis Addua, Pontus & omnis  
Helle-



Hellespontus & Oceanus, Maeotis, & undae  
 Advescant mihi Trinacriae: sua mittat Iberus  
 Barbita, Moscus, Arabs & prona Ligustica nostris  
 Aequora fluminibus. Boreas id totus, & Auster  
 Hoc Eurus Zephyrusque monent. Sis porrò per amplum  
 Praesidium. TVA me gladio suffulta potestas  
 Servet, & innumeris, DVX Inviçtissime, lustris  
 Adfere: perpetuam TVA virtus reddat olivam,  
 Intentusque meae sis, victore ense, saluti.  
 Dixerat exultans Rhenus, dignasque SABAVDIS  
 Solverat has DVCIBVS grates: se, littora magno  
 Voverat **EVGENIO**, ac **ITALVM** veneratus

### ACHILLEM

Is fuerat. Tumido rursus & frendente profundo  
 Abdiderat glaciale caput: spatiosus Olympus  
 Plausibus infremuit geminis, & maxima crebro  
 Fulgure turrigeris patefecit gaudia terris.  
 Excelso in curru DVX majestate decorus  
 Scepbris Borboniis Byzantinisque Tiaris  
 Terribilis sedet **EVGENIVS**: trux frena rotarum  
 Terror, & horribilis rapidos Bellona jugales  
 Flectit: inaurato cataphractus pectora ferro  
 Provehitur: medio surgunt in vertice cristae  
 Horrisonae, quas corde ferox trucibusque tremendas  
 Vultibus, & torvo Mavors pater ore Gradivus  
 Imposuit, cum liliferis pharetratus in arvis

F 3

Victor



Victor arenosum Rhodanum profugosque Tricastes  
 Sterneret, ac Ararim DVVIS hujus funderet ensis.  
 Dextra triumphatrix nitidae castrensia lauri  
 Serta simul palmamque gerit, sed Martia multo  
 Sangvine fert Heduo spumantem laeva machaeram.  
 Francia flet succumbentes prostrata catervas,  
 Et se captivum Bitutrix Celtasque peremptos  
 Picto dolet, queribunda caput quam triste sinistra  
 Fulcit, & extremam moribunda remissaque ducit  
 Gallia vastatrix animam, sibi moesta cruentae  
 Busta parat, queritur feralia funera, Bojûm  
 Bis stragem: nullos posthac sperare triumphos  
 Fracta putans DEVIS indicere prisca SABAVDIS  
 Praelia posse timet: Superos incusat, & omnes  
 Fortunae peritura vices ac improba sortis  
 Fata suae: quod Regna gravi Veromandua bello  
 Effera conciderint, marcescere Lilia tandem  
 Vividiorque magis decrescere Gallia possit.  
 Hinc laeta **EVGENII** Germania robur & artem  
 Belli fortunamque videt, clypeata, SABAVDOS,  
 Nomina magnanimi generoso sanguine Martis  
 Armorumque parente satos: quâ pulcher ad Ortum  
 Sol micat, & rursus Phoebæia lampas Iberi  
 Occiduis se mergit aquis: ubi torridus Afros  
 Perflat, & imbriteris urit fervoribus Auster,  
 Aut quâ frigoribus Scythicum glacialibus aequor  
 Stringit bruma rigens, Fabios superare SABAVDOS

EV-



**EVGENIVM**que **DUCEM** celebres tot ab hoste  
triumphos

Ducere: Germanis Aquilis, ductore **SABAVDO**,  
Nil nisi summa geri: **DUCIBVS** facilem aethera & ipsum  
**EVGENIIS**. pugnare Jovem: certare procellas,  
Nimborumque patrem Boream: sudare sub armis  
Solis equos Aquilisque, **DUCE** hoc submittere bello  
Omnia Germanos, fortissima fulmina belli,  
Terrarumque subactores hos jure vocari.

Diximus impavidam, **DUX INVICTISSIME**, mentem;  
Sed queis jam numeris **NOSTRI Prudentiam ACHILLIS**  
**EVGENI**que canam? primum quid mirer, & ausa  
Ordine quae inprimis stupeam? quod grandibus **Urbem**  
**Coeptis**, & summis spatiosa palatia **Nostri**  
**Condis CAESARIBVS**? multâ & Carthagine mundi  
Reginam cingis vallasque potentibus **Aulas**  
**Urbibus Ausoniis**? alias quod primus **Athenas**  
Germanos inter claris **Pictoribus** olim  
**Divus JOSEPHVS** vestro Augustissimus ausu  
Magnarum non parcus opum coelestibus orbi  
Struxerit auspiciis, spatiis diduxerit istas  
Immensis fermè? quod cunctos noscis amasque  
Imperii indigenas, & **TE** partiris iisdem  
Omnibus alloquio facilem? **Responsa** quod unus  
Magnorum Regum loqueris, reddisque quietem  
**Finibus**, & cunctis lenis mortalibus orbis

Dili-



Diligeris? celso metuendus & undique cultu  
 Aetherei Patris exemplo, qui cuncta tuetur  
 Et recreat, quem tota timet Natura Parentem  
 Ac Pietas veneranda colit. Non demis, at auges  
 Et ditas cives opibus. TIBI maximus ultrò  
 Bellorum fasces CAESAR LEOPOLDVS, & hujus  
 Proles summa Jovis JOSEPHVS numine fultus  
 Caesaris, ac CAROLVS SEXTVS largitur, & ipsam  
 Te soliis vult digna loqui, qui nectis amicis  
 Foederibus DVX finitimos, faustisque Coronas  
 Connubiis & pace ligas. Sic AVSTRIA passim  
 Regna videt cognata suis, assurget & olim  
 Plus ultra tantis agnata potentia Sceptris.  
 Nam velut irriguis gratisque caloribus orbem  
 Sol cremat, ac laetis agros foecundat amoenos  
 Ignibus, & cuncti tantam venerantur Olympi  
 Lampada, sic mundi populos, placidissime, servas,  
 Ac hominum generi faustis successibus unus  
 Consulis, excelsoque studes mortalibus esse  
 Praesidio: sic terra suae TE grande salutis  
 Fulcrum prona colit, mites veneratur habenas,  
 Ac aeterna TVAE constat reverentia vitae.  
 Magnates, humilesque viros affabilis audis,  
 Partibus & binis loqueris, discrimine nullò,  
 Justitiam. Quae spontè fugis funesta Regentum  
 Dissidia, impavido studio componis, & illud  
 Officii manet omne TVI. TE Nestore summò,  
 Pax,



Pax, coeleste bonum, vasto se publica mundo  
 Commodat, & Reges flectunt sua Regna quieti.  
 Singula jam canerem, belli Fiscique tribunal,  
 Caesarea augustos pro Majestate labores,  
 Immensisque suis meritis in secula claros  
 Semideos, si praecipuas ad carmina vires  
 Grandia sufficeres, & docti Numinis instar  
 Si Phoebus fueris. Praefectus fascibus Oeni  
 Ac LEOPOLDORVM JOSEPHORVMque Poten-  
 tum

Caesaris & CAROLI penetralibus altus in ipsis  
 Consilii DVX conspicuus, post arma, sarissas  
 Et diri Martis rabiem, pacata supremi  
 Romani Imperii, Britonum Rhodanique minacis  
 Regna, triumphantes CAROLOS & Caesaris unus  
 Sceptra iuvas, librasque TVO, DVX Maxime, nutu.  
 Tunc armis invicta stetit GERMANIA, fufis  
 Hostibus, & nondum timuit sub pace Gradivum.  
 Quando TVAS numeris, HEROVM ALTISSIME, laudes  
 Romanis scribi cuperes, vatunq; cothurno  
 Urbis Dardaniae, certaret Olympus, & orbis  
 Machina; consilii fortuna serena, triumpho,  
 Pax & bella pari complere volumina possent  
 Elogio; mentis staret fiducia recto;  
 Alter Aristides meritos auferret honores,  
 Et famam Titus ille suam. Revirescere sanctum  
 Censerem potuisse Numam, Patroclosque renasci.

G

Pro-



Promissis stares, & semina Pacis in Arcto  
 Spargeret Austriacus Rector. TIBI Belga salutem  
 Deberet, multas servata SABAVDIA lauros.  
 Instaurata quies & Pax fundata Coronis  
 Ederet insignes plausus. Succumberet istic  
 Thrax eques, exque sua fugerent statione Triballi.  
 Sceptra laborarent auro transcribere Leges  
 Perpetuas; Ister caneret pietatis amorem,  
 Et primas Themidos traherent oracula partes.  
 At LEOPOLDORVM JOSEPHORVMque Senator  
 Et CAROLI florens excellentissima Nostri  
 Gloria, Pieridum plus major & altior omni  
 Laude perinsigni decoris spectacula tanti  
 Mittis, & Augustae Patriae magis optimus esse  
 Omni contendis studio, quam talis haberi.  
 CAESARIS es prudens Cyneas & dextra supremi  
 Imperii, quae semper agis, Regalibus ultra  
 Conficis auspiciis. Quae das responsa Potentum  
 Legatis, dare Sceptra jubent. LEOPOLDVS & olim  
 JOSEPHVS mandant, CAROLVSque hæc imperat uni,  
 Quae vigil exequeris. TVA robora Marte probantur  
 Regibus, & perspecta fides in pace reducta.  
 Ingenii dotes coelestis & enthea mentis  
 CAESAR dona stupet, vestrisque potentibus ausis  
 Majori favet augurio. Tranquilla sereni  
 Vis animi, modus & suadae quam docta facultas  
 Regum Legatis arridet. & omnibus orbis

Prin.



Principibus. Certant Reges, & quaelibet ardet  
 Regia, Gesta cui secreta recluderet Aulae,  
 Mercurio hoc propiore frui. Prudentia factis  
 Emicat: Austeras clemens Astraea lecores  
 Mollit, & aequanimis totos it fama per orbis  
 Justitiae. Verae probitatis amoribus Aulas  
 Imbuis, & scelerum matres proscribis ab omni  
 Imperio. Magnis faceres virtutibus Heros  
 Materiam, nimiusque forem, si singula Pulcri  
 Nomina complecti mallet, canerentque Camoenae.  
 Jam CAROLVS CAESAR TIBI dat proluxa profandi  
 Tempora, sermonesque Tuos expendit acutus,  
*Helvetas* jam summus abis Orator in oras,  
 Vt *Pacis* decreta dares. Modò Prussica visis  
 Culmina, & armisonum Sueui flaventis ad amnem  
 Cerneris, & DVCE TE, dirimit concordia Martem;  
 Ac tot bella fugat. Modò Saxo-Britanna Sicambris  
 Foedere concilias diademata clara sereno,  
 Paceque Sarmatiam, bello componis ademtò.  
 Sic Regum pacator ovas, mundi que Coronas  
 Et thalamis pactisque ligas. TIBI quaeque salutem  
 Debent Regna suam, fortunatumque vigorem,  
 Ecquis svasor erat, factique magister & omnis  
 Dux operis, LEOPOLDE, Tui, cum divite cornu,  
 Artia fundares Regalia summa Camoenis,  
 Atque Silesiacas cum Majestatis Athenas  
 CAESAR DIVE, Tuæ strueres, sumtuque superbo



Acciperet florentem VRATISLAVIA Pindum.  
 Dux operis fuit **EVGENIVS**, qui svavia Musis  
 Otia fortunamque facit, sua consecrat altis  
 Omnia Doctorem Studiis. Transponere Pindum  
 Sustinuit, foedam validis infringere coeptis  
 Barbariem, studiis claros reparare triumphos,  
 Ac Artes famae pretio reparare serenas.  
 Phidiacas annon operas extollis, & Urbis  
 Augustae, DVX, sede locas? non Xeuxis & ipsis  
 Carus Alexandris tantas habitavit Apelles  
 Aularum Regis trabeas, cum Cypridis orsis  
 Grandibus Idaliae vultus & imaginis ora  
 Pingeret, ac Macetum, Darii post vulnera, lauros.  
 Cum pugnatricem Pellam ingeniosus ad ungvem  
 Duceret arte gravi, Magnos in imagine viva  
 Sisteret, & scitâ Emathios ratione poliret.  
 Praxitelas claros JOSEPHVS & ipsa favori  
 Inclyta posteritas vestro debebit & omnis  
 Natio. Daedalidas arte, ingeniosa, Lysippos  
 Nomina, terrarum quovis ex cardine, PRINCEPS  
 Celse, vocas. Hominum callens prudentia quicquid  
 Suggestit, ingenium quod mentis acumine grandi  
 Invenit, & Chaldaea novum speculatur Olympi  
 Sideribus; quae dis Natura recludit operta  
 Terrigenumque potest acie penetrare sagaci  
 Ardua mens, opera studioque inquirere summo

-DVX



DVX, fatagis, promptus diffundere grande per Artes  
Ingenium, disciplinisque vacare supremis.

*Historicos* celebres accerfis, amoreque vestro  
Herodotis sua vita redivit, qui gesta Monarchae  
JOSEPHI & CAROLI LEOPOLDORVMque Po-  
tentum

Et Germanorum Imperii monumenta vetusti  
Victurae infererent famae cum laude, papyro:  
Annales patrios & priscis inclyta seclis  
Erigerent tot facta Ducum, qui CAESARIS olim  
Praelia fortunam Austriacam, primique triumphos  
Scribere RVDOLPHI possent & dicere cunctis  
Gentibus, & binas Aquilas cantare per orbem.

Surgit, & in nostri laudes extollitur aevi  
*Euclidis* studium, Statore *Matheseos* altae

**EUGENIO**, mediisque cupit *facunda* renasci

*Attica* in Austriacis. Istro se Tigris & ingens

Exhibet Euphrates: *Sanctis* oracula *linguis*

Accola Danubii loquitur: Phoenicia Dravi

Finibus, & Styria TECVM regione recumbit.

Sic iter ingrederis laudum, Germanica prudens

Imperia Austriacosque beas, victricibus armis

Instruis Hungariam, & solamina blanda Camoenis

Conficis: in bello medio, Martem inter & enses

Cum studiis locus esse nequit, durabile doctis

Numinibus fis praesidium: Parnassia fulcis

Agmina, Pieridesque facis sperare salutem.



Innocuis civem traducere moribus aevum  
 Est hoc, CELSE, Tuum. Placidissima pectora donas,  
 Et legit exemplo castum, moresque pudicos  
 Vnusquisque TVO, dum cunctis regula iusti  
 Nasceris, ac ingens surgis Protector Honesti.  
 Dicite, num possederitis Germanica tantum  
 Regna Senatorem, meritis qui pluribus orbem  
 Occupet, & Victor Princeps plus muniat Austros?  
 Non Pandioniae tantum tenuistis Athenae  
 Spartanique Ducem, timidos qui funderet hostes  
 Paphlagonas, toties Turcam victricibus armis  
 Exueret: cristas Gallis apicemque Cadomo  
 Demeret: Augustis faceret sine fine triumphos  
 Caesaribus, tantumque suis decus adderet Austris.  
 CAESARIS es, DVX, svada potens, qui consulis unus  
 Regibus, & toti terrarum prospicis orbi,  
 Germana Patriae pro libertate Cadurcos  
 Orchanidasque fugas & debellare superbos  
 Omine contendis fausto. Sic contigit Atlas  
 Imperiis, cujus curis supponere mundum  
 Coelicolae statuere Dii, fulciret ut Aulas,  
 Ac Regnis *Pacis* certissimus *autor* adesset.  
 Haud vitam duxisse putat, nec fluxa recenset  
 Tempora, quae Gestis sine grandibus abstulit aetas  
 Parvula, sed PRINCEPS excelsus id aestimat aevi,  
 Quod Sceptro ac Aquilis sacer Imperialibus, Aulae  
 Fascibus impendit. Vah! bella geruntur, & eheu!  
 Haec.



Haecenus unanimes feralia praelia terras,  
 Et totum dubiae bellorum, quae patet orbem  
 Distinxere vices, nec limite semper ab uno  
 Saeviit, ad Martis varios quae provocat iram  
 Pectoris indomiti discorsque Megaera Monarchas.  
 Quid non insanis insaniit armiger oris  
 Non sub Chalcidicis tantum Euboeaeque tyrannis;  
 Non in littoribus Zemlae glacialis & ultra  
 Afrorum solum sibi quas fert Memphis, arenas  
 Terribilis vinci debellarique Gradivus?  
 Sarmaticis alibi Scricinnae Regna favillis  
 Gentis vasta patent, rursusque Borysthenis urbes  
 Ostrogothi Tejis soboles & fortis Athaulphi  
 Martia posteritas Nigros Albosque cruentis  
 Sanguine ut irrubeat saepissimè Wolga profuso  
 Cladibus involvit post tot certamina Russos.  
 Bellatrix quò non immania cogis Erinny  
 Praelia? sceptrorum quo non sub sole potentum  
 Perdere vel perdi cupiens soror effera Martis  
 Ac dea bellorum grassatur, & itur in ictus?  
 Assilit in ferrum pars quaelibet orbis, & armis  
 Omnis terra furit, rabidaque Gradivus in ira  
 Ensisibus adversis adversos jam rotat enses.  
 Sic hucusque ferè fati communibus orbem  
 Immiscere ferox, & tot dissensibus Aulas  
 Perdere Mars studuit, mors ipsa salutis, & istud  
 Damnorum punctum saliens & vita ruinae.

Quid



Quid sub sole novi? finem funemque timori  
 Dat DEVS, & rursus veterum formido malorum  
 Exul it, & priscos posuit Bellona furores.  
 Hoc sub solo novum: Redit *pax optima* terris,  
 Rursus & invisit placidas *concordia* gentes,  
 Et dextram stabilem, signum constantis amoris  
 Porrigit augustis Regnorum Orbisque Monarchis.  
 Numinis auspiciis & fvasu CAESARIS orbi  
*Bellorum ac Pacis Princeps* haec otia fecit  
 Maximus **EVGENIVS**. *Tantae Lusitanus* olivae  
 Surgit, & hoc ipsum cum *Gallis Belgica* quondam  
 Foedus amicitiae toties exoptat, ut altos  
 Compositis tandem bellis, revocaret in usus.  
 Hoc erat, hoc, quod saepè suis *Germania* passim  
 Promisit populis. *Britones* quoque bella perosi  
 Sabrinae *pacem* reducem Tamesique salutem  
 Jam propius spectant, cunctisque Europa, quot ambit,  
 Gentibus effusos jungit laeto omine plausus.  
 O fortunatum CAROLVM, CAROLVMque Tonanti  
 Dilectum! Superùm nutu qui CAESARIS orbis  
 Numine adorando fretus das *otia* terris  
 AVGVSTO bellis similis similisque tropaeis.  
**EVGENIOS**que DVCES ô terque quaterque  
 beatos!  
 Eloquio quorum celso descendit Olympo  
 PAX, coeleste bonum, terrasque invisere gaudet.

*Hel-*



*Helvetos faustos! felixque BADENA! salutis*  
 Pars tibi debetur, dum sanctae gaudia *Pacis*  
 Reddis, & augurio finis portenditur armis,  
 PACE novâ vertente, tuo. Tu *Pacis* amorem  
 Fortunata fovere doces, multisque per orbem  
 Otia terrarum indigenis secura redonas.  
 Hinc quoties CAROLOSSEXTOS & CAESARIS ausa  
 EVGENIVMque DVCEM redivivi dicere fasti  
 Instituent, toties haec optatissima nunquam  
 PAX te subducet laudi, dum fulgida *Pacis*  
 Atria Rhetoribus confers, titulis sed *Olivae*  
 Splendidior seris post haec celebrabere seclis,  
 Et tua, terror, erunt, armorum, nomina terris,  
 Regnis pacatis & mundi gentibus olim  
 Donec, dante DEO, prima aurea secula current.  
 Proxime Dîs, CAESAR CAROLE, ac Augusta Deorum  
 Progenies, summis Patriae qui flectis habenas  
 Imperiis, hominumque salus ac orbis asylum,  
 Cujus adorandam trans sidera celsa triumpho  
 Perpetui Majestatem Imperiique Coronas  
 Evexere diu, Themidos celsissime divis  
 Nominibus, cui summa beat moderamina Pallas:  
 Pacificum Regum columen, fortissime mundi  
 Arbiter, ac Fidei Protector & anchora sacrae,  
 Annis Nestoreis moderare diutius orbem,  
 Et Patris exemplo diffunde, Monarcha, per Afros  
 Regnicolas: in Amixocoros, & pieta, Tapujas,

H

No-



Nomina, Rector, abi. Totus quod & expetit orbis,  
 Nascantur similes TIBI, summe Monarcha, Rudolphi,  
 Cum *Ferdinandis Albertos* reddat Olympus  
 Progeniem Augustam, *Leopoldus* & imperet alter  
 Et sic æternum vastis moderamina mundi  
 CAESARIS exurgat Soboles TVA. Maxima verò  
 EVGENII ausa stupe: celsos mirare labores,  
 Securas Aquilas, & eò tutissima fulcro  
 Sceptra putes, civem salvum, Imperiumque quietum.  
 Prudentem hanc foveas mentem & sapientiae abyssum,  
 Quique suis firmant Solii fastigia curis

**EVGENIOS**, ô CAESAR, ama! TIBI pectus  
 id ipsum

Nocte dieque vacat. Pluit haec sapientia palmis  
 Pluribus, ac ipso hinc tot barbara Regna triumpho  
 Ducis, & in Phrygio statuis Simoente tropaea  
 Vindice. Magnanimum, metuende MONARCHA,  
 ferenò

Adspectu EVGENIVM recrees, quò sospite, vivis,  
 Et quod agis, fortuna beat: stant foedera fulcris  
 Praevalidis, pactisque TVIS tot Regna quiescunt.  
 Hanc dextram Imperii serves, oculumque Coronae  
 O CAESAR, tueare TVAE, qui providus unus  
 Pluribus invigilat Sceptris, solenne supremi  
 Os ac Imperii columen, felicitis amissim  
 Consilii, *Justi canonem*, *normamque Decoris.*

Vivis



Vivis in hoc custode TVI, responsa remotis  
 Intima Principibus loqueris. Tibi crescit in illo,  
 Imperii exoptata salus. Si forte quietem  
 Polcis, & expectas lassis grata otia sceptris,  
**EUGENIVS** pro TE Regnisque laborat, & Aulis.

TVque **SABAVDORVM PRINCEPS** Celsissi-  
 me, Victor

Maxime, Threiceos vel Dux adversus & Hebrum  
 Agmina conscribas, Rhodani vel castra fatiges,  
 Aut Leges ponas & justa statuta per Austros  
 Constituas, doctas vel in Vrbe novisque Camoenas  
 Sedibus excipias, aut optatissima Pacis  
 Conditio TE possideat, nectasque Coronas  
 Foederibus, vel TE vasti Rectoribus orbis  
 Consilio factisque probes, per secula felix  
 Vive diu; aeterno sis Imperialibus Aulis  
 Praesidio. Palmae pretium per grandia famae  
 Praemia, **CELSE**, refer. **CAESAR** TE jungat Achatem  
 Perpetuum **CAROLVS** lateri. **TIBI** plausibus orbis  
 Infremet, & superis Divis permistus Olympi  
 Addes sideribus stellam: super Hercule magno  
 Stabis, hyperboreasque faces, & lumina Cephei  
 Ingrediere: sua TE Cassiopeia reponet  
 Bellorum statione caput: Thure Ara cremabit,  
 Herculeos Divus dum intercenseberis ignes,  
 Dilectique Jovis splendebis Olore canoro.

H 2

Ac-



Aeternam meritis famam modò Tiphys in Austrum  
 Deferet, immergent umbris Cyllenia se se  
 Sidera, fulgebuntque TVO. TE Phosphorus orbi  
 Ostendet. Si sede Jovem contingere par sit,  
 Terras, cerne, ô Dive, tuas ubi fracta gemiscent  
 Lilia, queisque olim Selymi victricibus armis  
 Succubere TVIS. Vbi Vestra tot undique gessit  
 Dextera bella potens, REGVM TE sera loquetur  
 Posteritas, cupietque suis inscribere sceptris.

Hanc ex Germanis TIBI, PRINCEPS, offero Musam,  
 Maxime, cui, pugnasse, decus, cui vincere Celtas  
 Gloria, Mustaphidas cui longis sternere bellis,  
 Et Lunae exequias bustumque parare bicorni  
 Duratura domi, gentes victura per omnes  
 Fama fuit: TVA Gens mensque invictissima plectris  
 Robur & insignes animos calcarque canenti  
 Subdidit. His *Athesis* non indignabitur ausis,  
 Nec modulatrices *Padus* has *Tiberisque* *Camoenas*  
 Abnuet, *Euganeas* ex quo contingere sedes  
 Mox numeri poterunt, & sic livoris ad orcum  
 Jam proculcati toties pereunte venenô,  
*Insubribus* doctisque haec metra legentur *Hetruscis*,  
 Cumque SABAVDORVM Decius & ACHILLE mo-  
 derno

Ad seros, mundi quosquos dabit ima senectus,  
 Dante DEO, venient *Epinicia* nostra nepotes.

¶ ( ) ¶

Io.



IO. AVGVSTINI FASCHII  
ODYSSEA BRITANNICA,

SIVE AD

SERENISSIMUM PRINCEPEM AC DOMINUM,

DN. JOHANNEM,

EX ILLUSTRISSIMA CHVRCHILLORVM  
GENTE BRITANNICA,

S. R. I. PRINCEPEM MINDELHEIMENSEM AC DVCEM  
MARLBOROVGHIVM, S. R. MAI. MAGNAE BRITAN-  
NIAE CONSILIARIVM INTIMVM, SVMMVMQVE  
BRITANNICORVM IN GERMANIA ET BELGIO EX-  
ERCITVVM DVCEM BELLICVM, REI TORMENTA-  
RIAE PRAEFECTVM SVPREMVM, ATQVE OR-  
DINIS PERISCELIDIS EQVITEM,  
ET RELIQA,

DE REBVS SERENITATIS EJVS FORTISSIME GESTIS  
EPINICION

PANEGYRICO HEROICO PROPOSITVM.

**H**Actenus EVGENII Germanica bella SA-  
BAVDI,

Cum Selymis pugnas, & quos, Solymanne,  
subacto

Victor ab Euxino tulerit Turcisque triumphos  
Diximus, Heroasque simul memorare Togatos  
Ac, Europa, tuae, qua Regna Ducesque fruuntur,  
Augustae PACIS placuit celebrare vigorem.

H 3

Nunc,



Nunc, Sabrina, TVI Celta cum Rege, potentis  
*Herculis*, & quantum totus stupet orbis *Achillem*

Dicere **MARLBVGGII** Magni conabimur ingens  
Martis opus: cum Gallorum certamina gentis  
Devictis exercitibus, partasque perennes  
Cum Ramonorum Fabiis Cajisque Coronas.

**PRINCIPIS** & Celsi, **CAESAR JOSEPHE**,  
Tiaram

**MINDELHEIMENSIS** quam regnatori-  
bus ampli

Et tractus Dominis voti cum numine confers,  
Perpetuis ad venturam transcribere fastis  
Aetatem, dignisque metro virtutibus alto  
Compositus jubet ordo loqui: quos maxime **PRIN.**  
**CEPS**,

Magnates inter Germanorumque Dynastas  
Imperii sacri pro Majestate quieta  
Conficis immensos, *Alcidis* more, labores,  
Proque *Britannorum* salvo diademate curas  
Innumeras recitare lubet: mihi, Phoebe, favorem  
Cantanti largire tuum, dum maxima celsae  
Pallados *Anglorum* soboles, fortissimus orbis  
Scipiades nostris facit argumenta Camoentis,  
Narrat & aeternas **EJVS** res pagina gestas.

Merce



Merce potens & dives opum, celeberrima doctis  
 Artibus, & rapidas Germanici ad aequoris undas  
 Est regio, Scotos contra belloque ferocem  
 Armoricam, medias **CHVRCHILLVM** in luminis auras  
 Laetitias inter Sceptrorum & gaudia mundi  
 Totius illa tulit: **CHVRCHILLVM** Regibus ingens  
 Qui bellum Princeps gereret, qui symbola purae  
 Et Christianorum fidei usque foveret, Asylum  
 Verbi, Christe, tui: pro relligione columnam.

**MARLBURGIVM**, magnis qui quondam in-  
 victus Achilles

Regibus affereret *Britonum* diademata, & ostri  
 Imperium sublime novi prudente bearet  
 Consilio, Herculeisque simul defenderet armis  
*Anglo-Saxonicas Cantu* regnantis habenas.  
 Si fortunatis tantum scintillat Olympus  
 Ignibus, & coeli circumflaminantia late  
 Lumina purpureo magis affulsere nitore,  
 TE nascente, *Jovis* cunctas ingentius astrum  
 Fixas, praegreditur, spatiose rursus Olympo  
 Prolixa se mole rotans, grandesque recentis  
 Audet, ut *Ausonidum* Regis ceu flammula quondam  
 Bellorum imperii Nato promittere fasces.  
 Irradiat *Cytherea DVCEM*: parat ora diserta  
*Mercurius*, Ligerimque docet prosternere *Mavors*.  
 Exultant pariter *Boreae* sub parte *Triones*,

Et



Et non immeritò nascentia pignora primi  
 Tanta sibi prognata putant. Se vibrat in altum  
*Parrhasis*, ut spectet Sobolem. Vis ignea vultus  
 Quamque serena micat? frontem gravitate decoram  
 Spectat, & ardentes oculos; ut ab ore venusto  
 Majestas veneranda nitet. Parat obvius ire  
 Laetus, ut excubiis munivit plaustra *Bootes*.  
 Felici splendore nitet *Cynosura*, secundò  
 Omine; per geminas *Praester* dilabitur *Vrsas*  
*Ocyus*, & *Scythicos* *Rhodanique* abolere furores;  
 Magne Triumphator, tenero jam advescis ab aevo.  
 Victori imponit rutilas *Ariadna* Coronas;  
 Id jubet *Arctophylax*: Nocuos *Asclepius* angues  
 Comprimit, & partu solers *Ophiuchus* in illo  
 Languidulas sanat *Musas*. Non *Scorpius* ic̄tu  
 Mordet, & haud turbat saevus modulamina *Vultur*  
*Threiceae* peramoena *Lyrae*: Dulcissimè & hymnis  
 Clangit acutus *Olor*. Fortissima brachia *Cepheus*  
 Explicat, & Proli penetralia summa Regentum  
 Indicat; ast Superùm quae formosissima partum  
*Cassiopeia* suis extollit ad aethera ab ulnis,  
 Imperat *Andromedae* fraterni sanguinis artus  
 Mollè ligare novos, & consopire cubantem.  
 Advolat attonitus *sonipes*, & crure fluentum  
 Excitat; Infanti largitur grandia *Perseus*  
 Munera: Sequanicas in saxa *Medusa* cohortes  
 Vertit, & aethereis *Divis*, qui clarus Olympò  
Fulget



Fulget *Erichtonius* vita pro PRINCIPIS hoedum  
 Immolat. Occiduis *Delphin* se mergit in undis,  
 Et perferre timet DVCLIS hujus & Herculis iras,  
 Si petet Auscorum vicina palatia Regni,  
 Restituetque suas Austris Rectoribus arces.  
 En! *Aries* sano robustum in corpore pectus  
 Pollicitisque probos gravibus pertentat amicos.  
 Intrepidi virtus animi & victoria lauris  
 In *Tauro* redimita nitent: sub sidere *Fratrum*  
 Formosis Prolem hanc lampas *Phoebeia* donat  
 Corporibus, similemque facit coelestibus ipsis  
*Tyndaridis*: grandes animos & fortia *Cancer*  
 Corda dat, ac armis claros *Leo* spirat honores.

**MARLBVRGIVM** quoque *Virgo* suum sapientiae  
 abyfso

Instruit; ast multos appendit *Libra* labores,  
 Quos, **CHVRCHILLE**, feras: Opibus facit esse po-  
 tentem,

Et celsae exhilarat sobolis splendore Parentem

*Scorpius*: Australes acuunt virtute juventam

PRINCIPIS, & variâ confirmant arte *Sagittae*.

Quid? *Caper* Augusti celebris natalibus olim

Caesaris Aularum Regnique negotia NOSTRO

Tradit, & hunc celso subtilis *Aquarius* ornat

Judicio, felixque Anglis sub *Piscibus* Hector

Nasceris, & sortis TIBI sunt portenta serенаe.

I

En



En centumgeminò sub noctem exsplendet Olympus  
 Fulgure; **CHVRCHILLI** cunas celsissimus aether  
 Irradiat, summisque habitantia Numina coelis  
 Laetitia dant signa suae: descendere summâ  
 Sede student, sobolemque novam spectare serenam.  
*Diva Bifrons*, medias Regum celebrata per Aulas,  
 Augustos fulcire docens, fastigia firmans  
 Celsa Ducum: arcanos quae se transfundit in actus,  
 Quam Superi summâ *Prudentiam* in arce vocabant,  
 Haec ex Numinibus coelestibus, inter & omnes  
 Divas prima **TVIS**, *Dux Illustrissime*, cunis  
 Proximior jam tum svadâ prudente polivit  
 Regibus hanc sacram mentem Britonumque Senatûs  
 Principis, & celsos **TIBI** tunc promisit honores.  
 Post Dea, dum cunas Tamesino immerserat auro,  
 Est graviter sic orsa loqui: Celsissime, salve,  
 Salve, fortunate *Ducum*, quem provida fidum  
 Sceptra Senatorem facient, & ad ipsa Monarchae  
 Imperii secreta legent: Aquilonis ocellum  
**TE** dabis, & vestro diffusa *Britannia* crescet  
 Consilio: Belli Procerum **TE** Curia quondam  
 Celsa colet dicetque caput: distincta tenenti  
 Imperia augustis iter experientia Gestis  
 Sternet, & aeternam pariet post funera famam.  
 Dixit, & ad cunas aliud venerabile Numen  
 Accelerat, Natumque rotat: caput aurea cassis  
Ambit, & hirsutum colubris in pectore scutum

Baju-



Bajulat: haec ferrô robustos cincta lacertos  
 Aerisonâ tegit & celat ferrugine corpus,  
 Et sua Cenomanos Dea cum vibrasset in hostes  
 Spicula, paciferas manibus prensabat olivas.  
 Sic Divae per lenta gravi vestigia gressu  
 Majestas veneranda venit: qui limine parvô  
 Hôc recubas, ajens, spatiisque includeris arctis;  
 Haud TE Regna ferent, **CHVRCHILLE**, Britannicâ  
 tantum:

Pluribus Imperiis & fortunata disertus  
*Orator* consulta dabis. Quid possit in Aulis  
*Suada* potens, quantum teneat facundia pondus:  
 Quam facili studio bellis desistere Reges  
 Impetret, & bellatrices quam saepè Coronas  
 Eloquium grave conciliet, pacemque reducat,  
 Romani Imperii Procerum Celsissime, quondam  
 Exemplis plus centenis, **CHVRCHILLE**, docebis;  
 Si Reges mansveta dabunt pro pace profandi  
 Tempora, si rerum summam moderaberis Heros  
 Maxime, Nestoreisque reges DVX fascibus Anglos,  
 Prolixoque Deas & io! Pimplaea favore  
 Numina, **MAECENAS INDVLGENTISSIME**,  
 quondam

Afficies, ductuque TVO rediviva resurgam  
 Palladia cum gente mea. REX ipse Camoenis  
**REX CAROLVS, GVILIELMVS**, & ipse **GEOR-**  
**GIVS** olim



Arridebit, & Augustis placuisse *Britannis*  
 Musa potest: magnis, TE MAECENATAE, resurget  
 Laetior ingenii merces, & clarius ostrum  
 Aonias opibus recreabit grandibus Artes.

Si *Franci* certare parent, & in arma cruenti  
 Rursum prisca ruant, iterumque Garumna periculis  
 Ardeat occurfare ferox: si militat *Arctos*,  
 Diraque *Sarmaticae* renovant certamina partes,  
 Restingves Regum calidos prudentibus ausus  
 Consiliis, & permanfuro foedere junges  
 Sceptra, nec incipient extranea bella *Nemausi*.  
 Pacis inextinctae dotes & dulcia *Cimbris*  
 Otia TE, reddet, felici *Rhetore*, *Iernes*  
*Sabrinaeque* potens per *Itunae* littora *Rector*.  
 Astur abhorrebit ferro, veteresque *farissas*  
 Abjiciet *Druidum* ductor; *Taracona* nec unquam  
 Amplius aërias tollet sua signa per *Alpes*.  
 Talia quae cecinit teneris *praeconia* cunis,  
 Provida bellorum praeses, *sophiaeque* columna  
 Coelestis *Dea*, *Pallas* erat, *sapientiae* abyssus,  
 Quam doctrinarum latè decoraverat icon.  
 Pacificis oleis tenerum cunasque *supernas*  
 Sparfit, & arguto *Divae* praesagia *Natus*  
 Grandia prosequitur risu, & dum fulmine notos;  
 Compressis palmâ colubris, *magni* instar in *Anglis*  
*Herculis*, huc illud ad *Numina* flectit ocellos,  
 Non intellectis repetit facta ardua dictis.

Nec



Nec siluit veneranda *Themis*, celsissima summi  
 Ora Jovis vultumque gerens, & numine magno  
 Creta Deum soboles. Ultricia lumina late  
 Projicit, & rigidas, insignia clara secures,  
 (Ast quarum facilis Clementia temperet actus,)  
 Sveta suis praefert manibus, Divaeque supremæ  
 Majestate nitens os haec in verba resolvit:  
 Magne Ducum, TIBI ductor ero poteroque vocari  
 Excelsæ fortuna Domus: Sublime Tribunal  
 TE petet, & Regum nostris TE Sceptra requirent  
 Auspiciis. Me prasidio, praegrandibus olim  
 Consilium svadae omne TVAE transcendet in altum  
 Exemplis, faustisque potens successibus Anglos,  
 Et totum expedies bellis feralibus orbem.  
 Tunc grandaeva *Fides* & Olympi cetera terras  
 Numina regnatum venient: cum Caesare Reges  
 Jura dabunt, flectetque *Duces Astraea* beatos.

Audit, & has inter thalamo sublimis eburno  
 Fortunata sedet Genitrix: nova gaudia Divum  
 Auguriis & facta sui celsissima partus  
 Colligit: applausu secum majore superbit,  
 Et modò Fabricios alios, celebrata triumphis  
 Nomina, Scipiaden, magni Stiliconis habenas  
 Se putat enixam, qui Sceptra gubernet, & Aulis  
 Praesideat, Regumque beet diadema Senator.  
 Tum Sabrina simul Tamesinaque littora rursus  
 Praesensere suis fortunatissima Regnis



Secula: subrisit Vahalis, perhibentque Tuaedam  
 Anglo-Saxonicos Sambrae junxisse susurrus,  
 Huncque Caledonias, generosa vocabula, gentes  
 In fastos retulisse diem. Septentrio totus  
 Plausit, & in teneris vidit vagitibus Arctos  
 Fortunas haerere suas, & crescere lauros,  
 Hôc Augustorum caussas & bella gerente  
 Inviçto quondam pro Regibus Hercule magnis.

Moribus electis operam navando frequentem  
 Mature illustres animos virtutibus altis  
 Imbuis, à teneris magno sub pectore justum  
 Condis, & à primis annis advescere honesto  
 PRINCIPIS officium censes. *Pietatis* amore  
 Flagras, & TIBI sic, praesens *Astraea* potenti est  
 Praesidio. Niveis TE sancta *modestia* pennis  
 Ambient, & urbanis pulcre vestigia flectis  
 Gressibus. In cunctis placidae *Clementia* mentis  
 Emicat: audaci quicquam nihil imperat ore  
 Impetus: haud pateris confringi mascula donis  
 Pectora: proscribis luxum: succurris egenis,  
 Nec spernis cives querulos audire benignè.  
*Religio sincera pio, prudentia recto*  
 Invigilat Nemesisque sacrae. Favor omnis iniqui  
 It procul, & primas tenet hoc sub PRINCIPE *Iustum.*  
 Nec minus *historiam molis terrestris* & altum  
*Naturae* scrutaris iter, vastosque recessus,

Scire



Scire cupis, quâ vivis, humum; quô climate friges;  
 Quos tractus habitas, quo TE sub sidere nasci  
 Contigit, & Boreae gelidas, queis tingeris, undas.  
 Nam TE nosse decet terras, & noscere mundum,  
 Quem regis, & fortunarum vis esse peritus  
 Imperii constante diu quod pace gubernes.

Arrident pariter nervosa *Matheseos* altae  
 Dogmata **CHVRCHILLO** Magno: Generalia versat  
 Gnaviter, & primo quae communissima Quanti  
 Objicit intuitu lustranti affectio ephebo.  
 Exercet studiis *Metapantometria* profundis  
 Hanc adolescentis mentem. Quae lambit **Olympum**  
 Laude suâ florente, novis, hoc vindice clarô,  
 Eminent inventis abstrusa *Logistica* arithmis,  
 Et caput extollit plausu sublimior omni  
*Algebra*. *Pantometras* excelso mentis & artis  
 Judicio superas. Operis dulcedine clari  
 Duceris, ac animi **TIBI** nascitur alta voluptas;  
 Si varians exit pulchro fortasse *trigono*  
*Angulus*, Euclidemque manu plus vincis acutum.  
 In mundi medio positus *Geodaeta* theatro,  
 Maxime, terrarum faciem metaris, & orbis  
 Regna, Ducumque plagas vicibus distingvere justis  
 Cura manet, celsaeque **TVAE** recreatio mentis.  
*Phoronomia* **TIBI** rerum certissima motum  
 Supputat, illarumque **TVIS** duratio nota est  
*Chronometris*. *Staticae* studiis excellis, & aptum  
 Mecha-



*Mechanices* calles praestantior omnibus usum.  
*Optica* deliciis *Perspectivaeque* facultas  
 Ingeniosa suis, harum TE vindice surgunt  
 Altius, ac aliud tradis mox artis acumen,  
*Hygrometris* siccum benè si distinguis ab udo,  
 Et modò si soles calidos, modò frigora brumae  
*Thermometris*, CHVRCHILLE, TVVS discriminat  
 ausus.

Qui gradiare comes sceptris, propiorque WIL-  
 HELMIS

Ac ANNAE Augustae consanguineoque *Stuartos*  
 Stemmata, GVELPHORVM gentis, tangentibus adstes  
 Regibus, *annorum seriem* scrutaris ab aevo,  
 Qualis & à primis seclorum fluxerit ordo  
 Temporibus. Regum Proavos & Sceptra potentum  
 Volvis, & *historico* Britonum perfectior omni  
 Singula primaeva memoras ab origine Regni.

Ad quas *virtutes* & crimina qualia suctae  
 Inclinent hominum mentes: quò sidere multi  
 Sectemur sublime bonum; quam grandis & altis  
 Ardua vis oculis esset: quos torva silendis  
 Aulae consiliis commendent ora Ministros,  
 Et quibus è modicis stillet facundia labris  
 Anglica sceptrum beans, praesagò pectore cernis,  
 Iudicio monstrante vias: In fronte rotunda  
 Respicias insidias; patulis in naribus iram  
 Aversaris, & in plano certamina vultu.

Ter-



*Terrarum situs & facies, orbisque figura*

Est animi mentisque TVAE : se maxima vestro  
Pectore Regna rotant : animo Berecynthia toto  
Crederis, & turrita Anglis Dea Vesta putaris.

*Valla struis Tamesinque Tuum surgentibus ornas*  
Arcibus, aethereisque facis fastigia muris  
Stare Tuâ prudente manu. Quid ? Hibernica castris  
Regna novis firmas, fortalitiisque propinquis  
Instruis, & munis surgentibus urbibus Anglos.  
Talia suppositi non propugnacula rumpent  
Igniculi, nec talia Pergama saeva resolvet  
Machina, sulphureique globi, quae dextra Gradivi  
Ac aeditia CHVRCHILLVS condidit arte.

Sollicitus bellas alias inquiris in Artes,  
Perque profundarum miracula grandia rerum  
Fervidiore ruis studio : TIBI plurima justae  
Curae ventorum rabies : didicisse procellae  
Insidias : si nimboſis niger imbribus Auster  
Verberat aequor, & horrifonis maria omnia turbat  
Fluctibus, extremisque maris furit aestus arenis,  
Incolumes pulsas servare per aequora puppes,  
Sive Notimoveant adverſo turbine bellum,  
Inſolito pelagi ſubducere tranſtra furori.  
Tyndaridis melior Divis cenſebere, major  
Caſtore navarcho : vaſto de littore blandè  
In mare ſpirabunt Boreae, TIBI lenior Eurus  
Flabit, & in laetam tranquillior Aeolus Arcton

K

TE



TE vehet, armigeros placidâ si pace ligabis  
 Ostrogothos, & unanimes cum Rege Sicambros  
 Trajicies, Regisque Tui firmabis habenas.  
 Sic omnis *Natura* DVCI TIBI surgit, & Artes  
 PRINCIPE TE dignas venturos discis in usus.  
 Fortunatorum Regum penetralibus altis  
 Consiliisque facer partes rimaris & *artem*  
 Regna gubernandi ac omnes feliciter Anglos.  
 Regnandi ductor *Xenophon* tantam unicus Heben  
 Instruit & *Cyros* exemplum grande Regenti  
 Objicit: Astutus *Criton*, *Theophrastus* & ingens  
 Ille *Plato* praecepta boni sanique loquuntur  
 Principis: intrepidam volvit sequiturque *Stagiram*  
 Pella Ducem; modò *Trajano* *Plutarchus* amatur,  
 Et delectantur *Burrho* doctore *Nerones*.  
 Sic tenero egregiis solers impendis ab aevò  
*Historicis* longas operas: Ex *Caesare* *Celtam*  
 Noscis & invicto celeberrima *Lilia* bello.  
 Volvis & obscura mersum caligine *Dictyn*  
 Eruis intento studio; sublime *Darii*  
 Imperium, *Cyrosque* bonos, *Xenophonte* relicto  
*Herodotoque*, colis: recitat stratagemata *Grajum*  
*Thucydides*, & *Cecropii* vicennia belli;  
 Ast hominum generis primo nascentis ab orbis  
 Cardine dinumerant clarissima facta legenti  
*Polybius* *Siculusque*. DVCEM sic quaelibet aetas  
 Instruit, & tenerâ sapis à lanugine *Nestor*.

Ortus



Ortus Ausonios *Halicarnassaeus*, & Urbis  
 Gesta coaequalis memorat *Patavinus* ab ovo  
 Historicus. Celebres invictis Teutonas armis,  
 Teutonas, exuto occurfantia pectora ferro,  
 Suspiciis ex *Taciti* scriptis, calamoque *Strabonis*.  
 Gnavus *Alexandros* loquitur *Pellaeque* furorem  
*Curtius*; ast quarti Dominos *Svetonius* ingens  
 Imperii, & *Carolos* recitas, *Eginbarde* *Monarchas*.  
*Ottonum* pariter *Conradorumque* vetustos  
 Ac *Henricorum* *Fredericorumque* potentum  
 Scriptores ac Gesta legis, nec *Apolline* noctem  
 Pellere nocturno cessas, dum sorte *Rudolphi*  
 Duceris augusta, quantosque *Habsburgius* orbis  
 Progenuisse Deos regnatoresque supremos  
 Imperii poterat summae sator optimus ille  
 Et primaeva *Monarchiae* basis illa *modernae*;  
 Sublimi studio non ignorare laboras.  
 Inprimis vero *patriae* monumenta recentis  
 Anxius *historiae* repetis, **CHVRCHILLE**, nec *Anglis*  
 Displicet antiquis, industria quanta! *Monarchis*  
 Totas noscendis hyemes, & ditis aristis  
 Insumsisse vices *Tamesina* ad littora messis.  
 Hinc tanti studii certissimus heres & *Atlas*  
 Admonitu *Superum* foeto se corde legendis  
 Tradit *Saviliis*, *Cambdenorumque* labores  
*Seldenos* itidem *Commelinosque* disertos,  
 Quosque tomos *Galius* dedit & *Du-Cbesnii* olim



Quae de Normannis est commentatus & annis  
*Matthaeus* quae, Rege, *Paris*, ConquaeSTORE priscis  
 Edidit, ac *Scheringbamus*, *Spelmannus* & alti  
 Iudicii quae scripta *Baco*, *Smithusque* reliquit,  
 Et de praesenti quae *Chamberlainius* ille  
 Anglorum scripsisse statu doctosque nepotes  
 Jam pridem docuisse suos est ausus acutô  
 Ingeniô, indagat solers, calamosque per illos  
 Igneus ardor abit, nostrique ferocibus Euris  
 Ocyus abripitur mens PRINCIPIS inclyta, cunctis  
 Testibus *Oxonii* per pulpita regia Musis.  
 Has inter curas, & dum quas *Livius* olim  
 Florentisque *Dio* Latiae contextit Urbis  
*Casius*, historiam relegis : dum grande futuri  
 Agrippae eloquium TIBI fit moderaminis alti  
 Norma : gubernandi arcanas feliciter artes  
 Porrigit, & Maecenatis facundia summi  
 Splendida Caesareas Augusti firmat habenas.  
*Militiae & studiis* advescis, & Hectoris instar  
 Bellonas proavita vocas in castra sorores.  
 Agminibus junctis gaudes nunc ducere turmas,  
 Expansis cinctus gladio nunc dividis hastam  
 Ordinibus : medios nunc Dux contendis in hostes,  
 Gallorumque futura doces per tela, per ignes  
 Vulnera declinare TVAS, CHVRCHILLE, phalan-  
 ges.  
 Sufficiunt nec & illa TVAE, DVX Magne, juventae :  
 An-



*Anglo-Saxonicam* praeter *suadamque Latinam*  
*Belgis* verba facis : *Tartessa* vocabula bellè  
 Exprimis, & promptis *Italorum* arcana virorum  
 Scrutaris passim studiis. Dum disleris, ipsum  
 TE *Rhodanus* stupet, & *Biturix*, TE *Rhetore*, se se  
 Balbutire dolet. *Czechos* gravis ore rotundo  
 Vincis, & *Ostrogothum* dialecto pluribus anteis  
 Esthoniis : *Rusfis*, aperis, Orantibus, ora :  
 Crederis *Hungaricis* svadâ natalibus ortus  
 Et *Transylvanum* vernacula docta Periclen  
 TE faceret, Britonum fueris nisi natus in oris.

Haud ego, PAPINIANE, TVOS in *Jure* la-  
 bores

ANGLICE, commemoro : referant clarissimae ad V-  
 sam

Et *Cantabrigiis* Musis celeberrimae Athenae :  
*Oxoniumque* simul Latiarum oracula Legum,  
 Cum TE per plures annos, CHVRCHILLE, doce-  
 ret.

Sic gnavi Juvenis tandem sudoribus ingens  
 Gloria mandato Themidos succedit, & ostri  
 Jussibus augustis, PRINCEPS, TIBI, celse, para-  
 tur

Nobilius pretium, Procerum dum munere fultus  
 Obsequium Scepтрisque fidem per singula vitae  
 Lustra voves, dum consiliis bellisque Gradivum  
 Spontè sua TE praeficiunt Fabiumque salutant.



*Londinum*, sedes CAROLI, quem hucusque pete-  
bas,

Suspice, laeta, *Ducem*, non spes magis anxia mentem  
Distrahit, aut longo cunctatur gaudia voto.  
Suspice, totus adest oculis, quem concipis olim  
Mente *Senatorem Patriae, Patriaeque Parentem.*  
Nestor, cerne, Tuus venit, & qui dirigat Anglos  
Parmenio, clarus studiis, sapientior omni  
Prudenti Cyneâ, Patrocloque fidelior omni.  
Legum justitiâ superat vincitque Solonas,  
Consiliô Evagoram, svadâque potente Periclen.  
Sancta Palatinis resonant penetralia Regum  
Plausibus, & certant plebejo celsa favori  
Vota Ducum, multi Comites & Curia longis  
Ordinibus celebrant DVCIS inclyta nomina Nostri.  
O fortunatum! quem Sceptra Britanna Senatus  
Svadam Rexque vocant, qui pacas Lilia & oras  
Sarmaticas; qui Baëtra fugas Gallosque repellis,  
Et Germannorum relevas munisque salutem.  
Regum praepositus belli & penetralibus Aulae  
Anglorum per grande, Senator Hephæstio, curas  
Dividis imperium, multisque potentior unus  
Diceris ELECTORIS amor, REGVMQVE volu-  
ptas  
Altius assurgis', Sceptrorum fidus Achates.  
In populos animum facilem, pectusque benignum  
Accipis, & mavis civem sub pace tueri

Quàm



Quàm dubio dubiè fines extendere bello.  
 Ex aulis isti quamvis sit abire necesse,  
 Qui volet esse pius ; tamen officiosa Tonanti  
 Et decreta DEO *Pietas* sanctissima primùm  
 TE complexa fuit. Felix, qui plenus Olympi  
 Numine, coelestem cultum Superùmque timorem  
 Spirat, & accensus divae probitatis amore  
 Numen amat, calidoque DEVM sub pectore figit.  
 Infortunatos! & qui malè gentibus orbis  
 Prospiciant, queis causa DEI, veneratio Divùm  
 Negligitur. Nescit solidum mortalibus unquam  
 Praesidium spondere, nec ejus coepta beantur,  
 A quo Numen abit. Potius colit aethera vulgus,  
 Si Proceres coluisse velint, & grandibus ipsi  
 Exemplis purò venerantur corde Creantem.  
 Tunc DEVS aethereo generosum numine pectus  
 Impulit, ac aliis tunc tota Britannia fulsit  
 Luminibus, gavisà TVAE pietatis honore,  
 Adventuque TVO. Divùm tunc Rector opimae  
 Copia inexhaustos stillavit ab aethere rores  
 In Britones Tamesisque finum : Benedixit Olympus  
 Ipse STVARTORVM imperiis, pacisque Monarchis  
 Aurea restituit GVILIELMIS secla quietae,  
 Nam beat omnipotensque pius DEVS auget habenas:  
 Lenis es, & Superùm Templis adsueta vocari  
 Ambit ubique TVVM, PRINCEPS mitissime, pectus  
 Ma-



Maxima dos orbis Procerum Clementia virtus.  
 Haec facit ingenio facilem, svadaeque benignae  
 Criminibus caput iratum mansveta protervis  
 Instruit officio, mollitque remissa secures.  
 Nam crudele ferumque putas non parcere turbis  
 Sontibus, ac occisorum tot sanguine pasci:  
 Suppliciis gaudere feris: expungere pacem:  
 Conculcare preces miseras: ignoscere saevum  
 Nolle malis hominum: veniam renuisse roganti,  
 Ac objurgatas Manli revocare secures.  
 Huic comes incedit Nemesis Rhamnusia Divae,  
 Gnata Panomphaei Jovis, indignatio pravi,  
 Poenarumque rigor, reprobi quae criminis ultrix  
 Suppliciumque foret scelerum: quâ vindice forti,  
 Impietas mox exul eas, aut sanguine, flammis,  
 Funeribusque luas: haec turpibus obvia ferro  
 Ausibus imperium stabilit. Regnantis, & ipsas  
 Horrifico terrore ferox praemunit habenas,  
 Publica si interdum res sit formidine salva.  
 TE Germana fides (res intermorta nostri  
 Temporis) aeterno Themidos cum numine nexu  
 Possidet, & factis sese regalibus infert  
 Omnibus: haec nullo TE unquam pallefcere fuco,  
 PRINCEPS CELSE, finit. Nunquam promissa  
 negare  
 Docta, suis stat pollicitis: prodesse laborat  
 Et nulli nocuisse studet. Non mobilis illam

Vul-



Vulgi rumor agit : Non saevit inaniter, irae  
 Impatiens, nam come fovet morumque ferorum  
 Despiciit ingenium : Non grandi dextra talento  
 Obvia se referat, sed inexorabilis auro  
 Recta facit, nullumque timet. Qui turpis honesto  
 Officit, & justis specie depugnat iniquum,  
 Est odio. Menti similem componere vultum,  
 Usque paras, cunctisque patent, quae pectore sentis.  
 Haec & amicorum prolixis foedera iustis  
 Munit, & haud solvi patitur. Fastidit opertas  
 Insidias, Dominosque fide custodit aperta.  
 Sabrinae hâc DVX Sceptra colis Regesque Britan-  
 nos,

Hâc quoque GVELPHORVM nascens diadema se-  
 renum

Adseris & magni suffulcis sceptrâ GEORGI.  
 Belligeri Britonum, TE pugnatore, Leones  
 Innumeros ducunt, Regum splendore, triumphos.  
 Sceptrâ juvas meritis, & dum benè cuncta gubernas,  
 Unusquisque suam sentit crevisse salutem,  
 Auspice TE : Populi gratâ sic pace fruuntur.  
 Per TE decurrunt felicia secula Belgis  
 Gentibus, & Scoti crescunt, crescentibus Humbri  
 Imperiis, Tamesisque lubens sua commoda spectat.  
 In Superos verus fidei, TE PRINCIPLE, cultus  
 Perstat, & aethereo Sedes delubra Tonanti

L

Re.



Regia, TE monitore struit: Nam jungit & unit  
 Relligio, civemque nihil plus fortius arctat  
 Quàm Superum coelique metus: gentesque beatae  
 Plus sapiunt sub Rege pio. Nova mittis, & alto  
 Plus Regni antiquis fidis, CHVRCHILLE, statu-  
 tis

Judiciò. Reges populis, ac Regibus illos  
 Officiis & amore ligas. Altissima Regum  
 Jura serenorum Majestatemque tremendam  
 Sanctè custodis, & quae justissima magnis  
 Regibus it TVA dextra comes, fit criminis ultrix,  
 Vindicat & spretas poenae asperitate Tiaras.  
 Securos validis, quid? protegis arcibus Anglos,  
 Et bellis in pace vacas. Animosa per orbem  
 Ora refers, Regique Tuo meditaris amicos  
 Sceptriferos ac finitimos. His grandia Regna  
 Praesidiis secura vigent ac tuta, nec unquam  
 Certior imperiis aliàs fortuna perennat,  
 Quàm si mansuro vireat concordia nexu.

TV verò Britonum columen, certumque Coro-  
 nae

Robur, & augusti bellorum svada Senatús  
 Arcano Regnatorum secreta recondis  
 Pectore, terrarumque beas taciturnus habenas.  
 Multò callidius muros inopina resolvit  
 Machina, & obsessas aries occultus in urbes

Plus



Plus furit, & multò graviori rumpit hiatu,  
 Sic quae consiliis das alta silentia summis,  
 Successu pollent potiori, & Jova tuetur.  
 Jam dirimis rixas & saeva duella coërces  
 Cautus, & à Britonum populo proscribis & omni  
 Imperio. Pacem sequeris, sectaris Olivam  
 Concordesque foves animos. Largiris honores,  
 Pulcra quibus virtus pretium est, quos publica Re-  
 gum  
 Sors vocat, Imperiique salus, quos candor & in-  
 gens  
 In Patriam distingvit amor, prudentia rebus  
 Seligit, ingenii munit vigor ille sagacis,  
 Celsaque magnanimis commendant gesta Tiaris.

Omnibus Anglorum mens circumspecta mora-  
 tur

Finibus, & quaecunque videt. Scis, quicquid aga-  
 tur,  
 Quae civis loquitur, quid clauso corde volutat,  
 Et fasces num Regis amet? Non aspera vox est,  
 Blandula si miseris facilis solamina dicis;  
 Ast pravos terrere juvat, reprobique nec audent  
 Imperiosa loqui. Luxum, contraria casto  
 Crimina Regnicolis inhibes, & vivere parvo  
 Posse doces. Animos ignavos trudis, & uni

L 2

la-



Intentus modico DVX aeruscare volentes  
 A toto Tamesis populo propellis, & usque  
 Adsvetos operae durum patiensque laborum  
 Suscipis Vrbe genus. Niveae stas pectore firmus  
 Indolis: Aetraeae delubra serena recludis,  
 Verus & adsertor Themidos jus lancibus aequis  
 Dividis unicuique suum. TIBI surgit in agris,  
 Et circum tumidis se laeta extollit aristis  
 Anglorum gentis ditio, magnisque Monarchis  
 Proventu fert cuncta Tuis *mineralia* largo.

Dum miseris vah! concutitur Germania bel-  
 lis,

Totaque Vangionum cataphracta recumbit in arvis  
 Francia, dum Nemetes Rhodano immerguntur & un-  
 dis

Sequanicis, & pro! Neoburgica culmina flammis  
 Armoricis combusta cadunt, divumque tribunal  
 Corruit, & Biturix adeò mansvescere Rhenum  
 Cogit, ut heu! fractos veneranda Moguntia fasces  
 Defleat, & Treviri Ligeris mandata potentis  
 Sustineant, Pallas sibi collacrymetur & Aulis  
 (O Aganippaei decus indelebile Regni!)  
 Heidelbergae suis, ictu maectentur ut uno  
 Vindelici, tumulosque suos Alemanna queratur  
 Progenies, Patriam sapiens solaris & orbis

Im-



Imperio ex Anglis, Nestor CHVRCHILLE, su-  
premo

Proficis, unanimi diademata foedere mundi  
Jungis, & armifonos Belgas Regesque VVILHEL-  
MOS

Teutonicis unis Ducibus. TE Praefide rerum,  
Consiliisque TVIS ratibus contracta superbis  
Regna natant, tumidumque suâ victrice Garumnâ  
Sternere classe parant, & post surrepta Nemausis  
Carbasâ, submersis ex parte triremibus una  
Liligeris, vanos Araris feliciter ausus  
Destruis, Arvernos sternis fortissimus hostes,  
Nosque facis desperatam sperare salutem.

Austriacis ac Anglorum dum jungimur iisdem  
Foederibus, celeres per Regna Britannica TECVM  
Ivimus, & Flandris Celtis tot sustulit urbes  
Indomitae virtutis honos. *Castella Duaci  
Tornacumque potens, Ipras celebremque Menenam  
Concutimus. Nostris alibi Landavia cessit  
Partibus, & trepidam Gallis fugientibus urbem  
Auferimus: Treviras ipsis confringimus arces  
Messibus: & tandem manicis elabitur Andûm  
Bonna potens, Vbiis sedes devota Galeris.*

Ne vestras, Galli, mentes extollite fastu,  
A tergo DEVS ultor adest! dum corde triumphos  
Ducitis, & nimium fortunae fiditis, unus

L 3

Jam



Jam vinci vos posse docet: **MARLBVRGIVS**

Aufcos

Delet, & Andegavos ductor **CHVRCHILLVS** acer-  
bis

Cladibus afflicto invictò Marte laceffit.

Agnovit fortes animos roburque **BRITANNI**  
**HERCVLIS** Augustus Caesar **LEOPOLDVS**

& hujus

Successor **JOSEPHVS**, & illi spontè *Sereni*  
**PRINCIPIS** excelsos meritò largitur honores.

O decus Imperii, Regnique perenne supremi

**MARLBVRGIVM** per secla jubar! **CVI** tota

praealti

Imperii Procerum majestas illa Senatûs

Votorum confert summam, mediumque suorum

Quem legit Heroum in gremium! Certissima semper

Virtuti spectata manent sic praemia magnae,

Et simul impavidos (exultet sera nepotum

Posteritas!) ambit Fabiosque Ducesque Britannos

Teutonici sublime decus splendorque vetusti

Ordinis, ad cujus penetralia scandere forsan

Aut ad confessus peregrina ex gente vocari

Ardua res summumque quid est, velut Africa cervos

Non dabit, aut Libycos feret India adusta leones,

Teutonicisque elephas nascetur eous in oris,

Tot



Tot subjecta Tuis, PRINCEPS CELSISSINE, sce-

ptis

Oppida, divisosque Ilari per littora cives  
 Suspice : quos festos templis indicat honores  
 Pro TE regnatore suo, pro PRINCIPE justo

**MINDELHEIMENSIS** populus regionis habenis

Devotus propriusque TVIS, fortissime cernas  
 Rector, & aeternum quos TE sub PRINCIPE miti  
 Promittant blando fultos moderamine fasces.

Excelsam porrò Superum clementia Stirpem  
 Et fortuna serena TVAM feliciter ornet

Lauris promeritis, Istri & plus Najadas ultra  
 Evehat auspiciis laetis : **JENNINGIA** Conjux

Floreat, & **SPENCERORVM** prosapia magni  
 Gignat ad exemplum *Soceri* certamine claros

Laomedontidas bellatoresque Camillos !  
 Longa **GODOLPHINOS** *Generos* de sangvi-

ne celso

Stemmata condecorent, & **BRIDGEVVATE-**

**RVS** in Aulis

Emineat, Sabrina, Tuis! Venerabile Regno  
**MOVNTHERMERORVM** palmatis gloria

stirpis

Sufficiat per secla decus, totamque Monarchae,

Jura



Jura suis prompti qui dant victura *Britannis*,  
 Hanc Procerum stirpem foveant, & munere dignam  
 Magnatum accersant in tot moderaminis artes,  
 Victoresque simul bellis navalibus olim  
*Archithalassorum* grandi cum numine quondam  
 Praeficiant! tantis etenim ductoribus omni  
 Addixit proprios aevô Bellona triumphos.

Haec in *Saxonico*, quem florentissima terris  
 Sistit, & augustam sedem dat JENA Camoenis,  
*Parnasso* cecini: Mea sic TIBI Musa Potentum  
 Se dicat, ô coryphae DVCVM, modô *Apollinis* in-  
 star

Leniter, & simili *vatem* Dîs respice vultu,  
*Saxonicamque* Jovis germen coeleste, Sophorum  
 Hanc antistes amet *Pallas Tamesina Poësin*.

BaDensIs Caesari, RegnIs potentIs IMIs,

PrInCipIbVs

1714.

ConCorDIa noVIssIMa sIt perpetVa! 1714.













Lit. Lat. rec. A 141.



